DE VOCABVLO FIDEI

ET ALIIS QVIBVSDAM VOCABVLIS, EXPLICATIO uera & utilis, sumta ex fontibus Ebraicis.

Scripta à

Matthia Flacio Illyrico.

Cum præfatione Phil. Mel.

Abacuc. ..

צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה

Iustus fide sua uiuet.

VITEBERGÆ.

ANNO. M. D. XLIX.

REVERENDISSIMO Domino Thomæ Archepiſcopo Cantuarienſi Philippus Melanthon S. D.

ARs & mirandus ordo in toto opificio naturæ, in cœli & elementorum poſitu, in Siderum motibus, & conſeruatione ſpecierum, in fabricatione corporis humani, denicq; in luce mentis, in numeris, legibus, & omnibus artibus vitæ neceſſarijs, euidenter oſtẽdit hanc rerum naturam non extitiſſe caſu, ac monet intuendum eſſe mente horum operũ architectum & conditorem. Hic vero immenſa bonitate non ſolum in hoc opificio ſe patefecit, ſed etiam prodiens ex arcana ſede, allocutus eſt homines ſua voce, & qualis ſit, quõ agnoſci

& inuocari velit ostendit, ac legem & promissiones tradidit. Cũ autem pro hac patefactione grata esse vniuersa hominũ natura deberet, et hoc testimonio mens erudiẽda & confirmanda esset, & vox Dei reuerẽter audienda & firmissime amplectenda, dolendum est prestigijs diaboli etiam has patefactiões obscurari, & humanis mentibus vocem Dei excuti. Nam hac cauillatione labefactant impij cœlestem sermonem. Ambigue dicta relinquenda sunt & querendi alij doctores qui perspicuam & firmam doctrinam tradunt. At magna ex parte, inquiunt, obscurus, ambiguus, & ænigmatum similis est, aut numerorum Platonis, sermo cœlestis. Itaq; si doctrina queritur gubernatrix vitæ, certa & firma proponatur, relictis illis labyrinthis

rinthis. Nouimus igitur quosdam qui prorsus abiectis libris prophetarum & Apostolorum in templis ad verbum enarrabant Aristotelis Ethica. Et pauca de ceremonijs addebant sumpta à consuetudine, eamq; docendi formam indicabant vtilissimam esse. Hęc exaggerantur cõmemoratione horribilium certaminum, quæ omnibus seculis in Ecclesia extiterunt, quæ si non esset ambiguus sermo diuinus, oriri non potuisse videntur. Cur litigat Paulus de legis vsu cũ Phariseis, si expressa est eadem doctrina in concionibus Prophetarum, Cur Samosatenus, Arius, & alij mouent bella de filio Dei, si nihil est obscuritatis in scriptis Apostolorum? Sed his argumentis initio oppono illustre exemplum, quod ostendit certamina non sem

per à ſcripti obſcuritate oriri, ſed ſæpe à peruerſitate hominum. Videbant Iudæi mortuos in vitam reuocari à filio Mariæ, & tamen eius doctrinæ acerrime aduerſabantur. Cum igitur ne cõuicti quidem euidentia miraculorum, Deo crederent, manifeſtum eſt ſæpe non a doctrinæ obſcuritate, ſed ab hominum malicia diſſenſiones oriri. Deinde quanquam verum eſt homines ſophiſticos ſeu ſycophanticos omnia omnium dicta poſſe cauillationibus deprauare, tamen nõ propterea certitudo nulla eſt, ut etiamſi ludit aliquis preſtigiator in hoc dicto. Nunc iuſticia dei ſine lege adparuit, tamen non propterea obſcura aut ambigua eſt oratio. Nam ſeries diſputatiõis, quid velit dicere Paulus indicat. Sed lectores adferant in iudicando co-

gnitionem phraſis, mediocrem e/ruditionem, & dexteritatem iudi-cij, candorem, timorem Dei, amo/rem veritatis, nec ſint faſcinati pra uis opiniõibus, nec ambitioni aut alijs adfectib. ſeruiant. Certa ſunt igitur quæ tali verborum genere narrantur quod vnam quandam ſententiam gignit, iudicio ſanorũ & intelligentium phraſin, & nõ ca lumnioſe transformantium verba in alienam ſignificatiõem. Denicꝫ ut in foro ſapientes & iuſti iudi-ces in ferendis ſententijs vtuntur perſpicuo & certo genere oratio-nis, ita in ſermone cœleſti perſpi/cuæ & certæ ſunt legum & pro/miſsionum narrationes & pluri/morum articulorum fidei. Non e/nim putemus Deum ex illa ſua ar/cana ſede prodijſſe, vt ambigua di cta ſpargeret, & generi humano

tanquam μῆλον ἔριδος obijceret. Sed in lege iudicium & iram vere agnosci voluit, voluit in promissionibus conspici immensam bonitatem & misericordiam quas hanc ipsam ob causam patefecit, ne totum genus humanum periret, ac voluit notam esse suam voluntatem de mediatore filio, de reconciliatione, de remissione peccatorũ, de venturo iudicio, de restitutione vitę æternæ. Cum in Schola interpres artis alicuius obscure docet, aut spargit ambigue dicta, desideratur in docente vel eruditio, vel fides. Nec dubiũ est sapientes & fideles doctores præcipue in hanc curam incumbere, vt planissime doceant, & tradant certam & quasi metis ac septis inclusam doctrinam, ne ambiguitas errorẽ pariat. Non potest autem Deo tri

bui

bui inscitia, potest diserte dicere quæ cogitat, & cum immensa misericordia generis humani adficeretur, voluit certe consolationes non ambiguas esse. Quoties Abraham, quam blande alloquitur, quoties eadem consolationes repetit, vt & ipsum & vniuersam Ecclesiã confirmet. Iubet etiam æternus pater clara voce de cœlo sonante, audiri filium, cum inquit, Hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Quid attinet audire, si non adfert certam & firmam doctrinam. Denique de his ipsis scriptis propheticis, quæ extant in Ecclesia inquit Paulus, Tota scriptura diuino spiritu tradita vtilis est ad docendum &c. Et Petrus, Habentes sermonem propheticum, Hunc sequamini intenti, ceu lychnũ in obscuro loco lucentẽ, Petrus

lychno lucenti confert sermonem propheticū. Homines prophani dicunt esse tenebras, aut prestigi/as. Psalmus inquit, Lucerna pedi/bus meis uerbum tuū. Homines prophani inquunt, Imo legantur A ristotelis Ethica, legantur decreta pontificū. In his est politia Eccle/siæ certo & sine ambiguitate con/stituta. Esaias inquit, Ad legem et ad testimoniū, Qui nō dixerit iu/xta uerbum hoc, non erit ei matu/tina lex. Denicq; talia preconia ser/mōis diuini multa extant, quæ mo ueant bonas mentes, ut statuant & legēdos esse libros propheticos ac Apostolicos, & ex ipsis tanquam fontibus petendâ esse doctrinam certam legum, promissionum, & articulorum fidei, & Deo se pate/facienti hunc honorem tribuant, vt sentiant voluisse eū vere & vti/

liter

liter docere & consolari genus humanum, non voluit vt impostor, tantū offundere prestigias. Quod cogitari scelus potest atrocius, q̄ fingere deum voluisse in docendo tantum discordias serere. Ab hac impia opinione abhorrere totis mentibus & pectoribus omnes homines oportebat. Sed clamitant aliqui multa breuiter dici plerumq; aūt in breuitate inest obscuritas, vt dicitur, Breuis esse laboro obscurus fio. Deinde si esset perspicuitas tanta, nō essent toties exortæ dissensiōes. Preterea cur iudicia doctrinę in Ecclesia constituta sunt, Et addita interpretatio, si litera ipsa sui interpres est. Non difficilis responsio est si sine calumnijs iudicare volumus, Vult Deus in Ecclesia ministerium Euangelij esse, & filius Dei sedens ad dextrā

eterni

æterni patris seruat hoc ministeriũ sonans Euangelij vocẽ, ac dat dona hominib. pastores et doctores. Hos vult audiri, qui quidem non nouum doctrinæ genus gignunt, Sed rudibus ostendunt de quibus rebus Deus cõcionetur in suo sermone, phrasin enarrant, cõferunt ad diuinas leges, & promissiones, humanã sapientiam, monent quid conueniat, quid non conueniat. Denicq; Ecclesia est velut Grammatica sermonis diuini, Nõ enim res nouas excogitat, sed iuniorib. ostendit rerũ ordinem, & sermonis proprietatem. Quod aũt magna certamina & sunt & fuerunt, sæpius causa est & fuit, peruersitas ingeniorum iquam sermonis diuini ambiguitas, Ideoq; vult Deus iudicia doctrinæ esse, vult etiam sententijs piorum iudicum confir

mari

mari imbecilliores, ut dictum est, Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Sed hi iudices non condunt nouam doctrinam, tantũ confessionem edunt, qua ostendunt se amplecti patefactionem diuinam, & collectis testimonijs sermonis diuini refutant corruptelas, vt Ecclesia Antiochena refutat Samosatenũ negantẽ λόγον significare personam, in hac narratione, In principio erat verbum. Adiungit enim sequentia dicta quæ perspicue adfirmant mentionem fieri personæ, & uerbũ caro factum est. Et hos ipsos iudices adiuuari probatis testimonijs eorum, qui fideles doctrinæ custodes fuerũt initio post Apostolos, non est absurdum, ut nos de diuinitate filij Dei, testimonia querimus Gregorij Neocesarienſis, Irenei aut talium qui Apo-

stolos

ſtolos aut Apoſtolorum diſcipu-
los audiuerunt. Hęc eo recitaui, ut
inuitentur ad lectionem propheti-
corū & Apoſtolicorū monumen
torum bonæ mentes, nec deterre-
ri ſe prophanis illorum iudicijs,
ſinant, qui clamitant eſſe folia Si-
byllæ, aut Sphingos ænigmata, Si
lector adferet timorem Dei, & a-
morem veritatis, & aliquam litera
rum & phraſis cognitionem, ani-
maduertet orationē nequaquam
ambiguam eſſe. Et vt alios artifi-
ces vſus multa docet, ita in hoc ge
nere doctrina fit illuſtrior fidei ex
ercitijs in inuocatione, & Deus
lucem in mentibus in his exercitijs
accendit, de qua dictum eſt, vn-
ctio docet. Sed inter ea quæ con-
fert eruditio, plurimum adiuuat
lectorem cognitio phraſis. Ideo
in hoc

in hoc libello, de vocabulorum aliquot proprijs & vicinis significationibus differitur. O rem miseram, & omnium piorum lachrymis deplorandam. Vt ille in Tragœdia Euripidis ad Menelaum inquit, Barbarus factus es longa commoratione inter Barbaros. Ita Ecclesia longa commoratione inter Barbaros monachos linguam maternã dedidicit. Ac dolendum est præcipuarũ appellationũ significatiões vel amissas vel obscuratas esse, videlicet fidei, sacrificij, gratię, iustificationis, Toties clamitant aduersarij, fide tantũ noticiam significari ac propterea dictũ corrumpunt Fide iustificamur, cum impossibile sit vllam creaturam sola noticia iustam esse. Decurrunt igitur ad hanc corruptelam

ruptelam fide præparamur ad iu-
sticiam, Cognita aũt Ebrei sermo-
nis consuetudine facilima est refu-
tatio. Sed nolo hic prolixior esse,
presertim cum libellus ipse offerat
plura exempla. Magna aũt confir
matio est fidei, certo scire quæ sit
vis verborũ in fontibus. Ideo dis-
centes adsuefaciant se singulari cu-
ra & studio ad iudicandam phra-
sin. Tibi aũt reuerendissime Ar-
chepiscope mittimus hâc lucubra
tionem, ut iuniores hęc ipsa studia
magis ament, cum tibi viro præ-
stanti sapientia & virtute
probari ea cogitabunt.
Bene vale, Vite-
bergæ calen
dis Mar
tij.
Anno 1549.

IN LIBRVM DE VOCE ETRE FIDEI, PRÆFATIO.

DE FIDE, QVÆ teſte ſcriptura eſt unicum inſtrumentum, quo Dei miſericordiam aliaq; omnia bona apprehendimus, magna fuit procul dubio inde a condito orbe terrarū inter Hypocritas & uere pios diſſenſio, quod etiam ſcriptura indicat, cum inquit, Abelem per fidem maius ſacrificiū Deo obtuliſſe, quam Cainum. Pios cum hyp. ſemper de fide contendiſſe.

Nam Abel ita, ut a patre inſtitutus erat, diligenter ſecum interſacrificandum de magnitudi- Fides Abel

ne peccati, de remissione peccatorum ac misericordia Dei per semen mulieris promissa cogitauit, ac per illud semen Deum ardenter inuocauit, secumq; multum meditatus est, eam insontis agni exustionem nihil aliud esse, quam typum quendam illius ueri agni Dei, qui pro humano genere innocens suo tempore erat passurus, nostra peccata ablaturus, ac Sathanæ caput contriturus.

Cum interea alter tantum de suis operib. de sui sacrificij præstantia, decq; sua primogenitura inflatus cogitaret, ignarus peccati, iræ ac misericordiæ Dei, nec uel intelligeret uel curaret promissionem de semine mulieris

Fides Cain

serpentis

serpentis caput contrituro. Ita magis placebat Deo sacrificium Abel, quia fide hac Abel quasi aspergebat suum sacrificium uenturi seminis sanguine, q̄ sacrificium ipsius Cain, qui nihil serio, neq̄ de peccato, neq̄ de misericordia Dei, neq̄ de mulieris semine inter sacrificandum cogitabat. Ex ea sententiarum diuersitate cum forte uterq̄ alterius fidem damnaret, ortæ sunt inimiciciæ & nefarium parricidiū.

Talis contentio fuit & Prophetis cum Iudæis, & Christo ac Apostolis cum Pharisæis, ut ex sacris literis apparet, & procul dubio omnib. temporibus uere pijs cum impijs, omnium autem

maxime noſtris Eccleſijs hoc poſtremo, & luctuoſiſsimo tempore cum noſtris aduerſarijs.

Nec mirum eſt eſſe perpetuas contentiones de fide, pijs cum impijs. Sunt enim huius rei duę longe maximæ cauſæ, quarũ prima eſt, quod cum fides ſit donũ Dei, & ſit plane extra animalis hominis captum uere agnoſcere peccatum & eius ingentem fœditatem, Item agnoſcere magnitudinem miſericordiæ diuinæ, ac ſtatuere ſecundum promiſsiões, quod tibi miſero peccatori uelit Deus eſſe propitius, putant impij cum omnia prædicta uaniſsima ſomnia eſſe, tum uero uel in primis, quod pij, etiamſi & peccatis

Prima cauſa contentionis.

catis & multis alijs miserijs sint oppressi, tamen audent ad Deũ creatorem cœli et terræ clamare, ABBA pater, ac sibi de eo omnia bona polliceri, sicut nobis nostri aduersarij hoc tempore occlamant, quod sit temeraria persuasio statuere, quod Deus mihi misero peccatori sit propicius, dubitandum .n. esse de Dei erga nos voluntate.

Cum igitur impij doctrinam de uera fide penitus non intelligant, rident ac execrantur eius professores, ac quia solam externam disciplinam norunt, & qualemcunq; uitæ honestatem, illam solam admirantur, Ad hæc etiam, quia tales homines plerunq;

per ſuas ratiotinationes ſtulti fiunt, horribili audacia nouas religiones excogitant, diuinitus datam ad ſuum captum commodumq; attemperant, atq; in hac ſua chimæra totam pietatem collocant. Eos uero, qui ſummam pietatis in illo dicto Dei, Inuoca me in die tribulationis, id eſt, in illa perpetua mendicatiõe diuinę miſericordiæ & auxilij ponunt, tanquam inſanos rident, & tanquam impios, quod ipſis non aſſentiantur, ferro ac igni perſequuntur.

Secunda cauſa contentionis.

Altera cauſa eſt, quod Diabolus ingenti ſua malicia incitatus, in hoc extreme incumbit, Vt nos miſeros homines (q̃quo demum modo id efficere poſsit)

co inſtru-

to instrumento priuet, quo solo scit nos Deo coniungi, ac quo omnia bona ex inexhausto diuinæ bonitatis fonte haurimus, ipsiq; Deo uere gloriam tribuimus, quo sic nos à Deo segregatos secum in æternum exitium abripiat, & Deum debito honore priuet: eaq; de causa malos homines ueneno suo imbutos excitat & inflammat, ut mendacio ac homicidio, fraude & ui doctrinam de fide Christi beneficia apprehendente sine intermissione oppugnent.

Quare cum tantum furorem esse Diaboli ac impiorum in opprimenda ueritate, ac propagando mendacio cernamus, par est *Causæ huius scriptt.*

nos etiam ſanctorum pãtrum ex empla immitatos ueritatem conſtanter confitendo bonum depoſitum, ut Paulus inquit, fideliter conſeruare. Qua cauſa ego q̃q̃ motus, cũ uidear mihi quædam animaduertiſſe, quæ poſt omnium aliorum ſcripta non inutiliter de fide (quod æquus Lector ex ipſo ſcripto facile intelliget) dici poſſe uidentur, Conſtitui aliqua ea de re cõmentari, partim exercitij gratia, partim etiam, ut conſcientiæ meæ me ad hoc (q̃d pie affirmare poſſum) urgenti ſatisfaciam.

Ordo ſcripti. Diſtribuemus autem iſtam noſtram cõmentationem in tres partes potiſsimum. In quarum prima diſſeram de præcipuo vocabulo

cabulo fidei Hebræo ac Græco, idq; ita, ut prius quidem de uerbo, posterius uero de nomine dicam, quanquam obiter & uicinas his principalibus vocabulis voces explicabimus.

In secunda uero de reipsa fidei ita commentabimur, ut aliquo modo exactius fidei partes enumeremus easq; singulas seorsim diligenter excutiamus.

In postrema propositionem pœnitentem sola fide iustificari explicabimus, et cõfirmabimus, ac omnino de iustificatione quedam aliquanto exactius & limatius dicemus, Quæ ne ipsa quidem, ut spero, penitus erunt ἀπορώλια. Tractabimus simul

quoq; quædam de instrumentis nostræ salutis, quæ sint, ac quomodo nostrum instrumentum, id est, fides Dei instrumentis, id est, uerbo ac sacramentis obuiam exporrigatur, nostramq; salutem peragat, Ea autem partim præcedunt locum de iustificatione, partim sequuntur. Sed iam ipsum opus inuocato Christi nomine, qui petentibus pollicitus est, se Spiritus sancti auxilium esse daturum inchoemus.

Prima

PRIMA PARS DE VERBO FIDEI, & cognatis vocibus.

PRIMVM igitur dicamus de Hebræa uoce fidei. Nam & a primis fontibus Cœlestis doctrinæ incipere par est, & nouum quoq; Testamentum Hebraismis esse refertißimum res ipsa ostendit, de præsertim uoces maioris momenti unà cum ipsis rebus ex ueteri Testamento in nouum sunt translatæ.

Vtuntur autem Hebræi uarijs quidem uocibus in descriptionibus fidei, prout uarij sunt etiam motus fidei, de quibus postea clarius. Vsitatißime tamen eis pro toto credere הֶאֱמִין ponitur, inueniturq; in quibusdam præcipui momenti locis, ex quibus doctrinam de fide Apostoli exposuerunt. Quare operæpreccium erit hoc ipsum uerbum eo diligentius explicare.

Quod autem usitatißime significet credere testantur

teſtantur hæc exempla. Geneſis 45. diſſolutumq; eſt cor eius, quia non האמין credidit eis. Item Eſai. 28. Rom. 10. המאמין Omnis qui credit non confundetur. Item Gene. 15. והאמין Et credidit in Dominum, ac imputauit illud (ſcilicet credere) ei ad iuſticiam. Ac alia loca quam plurima.

Huius uerbi ſi Etymologiam (Quid iam eſt hiphil, ut grammatici Hebræi loquuntur, ſeu in tertia coniugatione) diligenter excuſſerimus, multum etiam in ipſius rei, ut ſpero, cognitione promouebimus.

Quid daman ſignificet.

Verbum hoc in primo themate proprie ſignificat fidum, uerax, firmum ac ſtabile eſſe, ut legitur 2. Samu. 7. ונאמן ס֑ conſtabilietur domus tua in perpetuum coram te, ſolium tuum נכון firmum erit uſq; in ſeculum, ubi uidetur idem ſignificari per נכון ס֑ נאמן eiuſdemq; ſignificationis uoces eſſe. Et Pſalm. 78. Et cor eorum nõ fuit Nachon firmum cum eo, ס֑ non נאמנו fuerunt ſtabiles in fœdere eius. Vbi iterũ hæ duæ uoces in eodem ſignificato coniunguntur. Accuſantur enim Iudæi, quod non fuerint conſtantes in

tes in fœdere, nec ea Deo præstiterint, quæ polliciti erant, id est, quod illum solum pro uero Deo habituri essent. Ieremiæ 15. Et tu es mihi sicut aquæ quæ fallunt, et non נאמנה firmæ permanserunt. Sic Num. 12. dicitur Moses seruus fidus. Sic & 1. Sam. 2. dicit Dominus. Excitabo mihi Sacerdotem fidum, omnia quæ ego cupio, quæq; mihi probantur faciet, & ædificabo ei domum נאמנה stabilem. Item 1. Sam. 22. dicit Achimelech ad Saulem, Quis est inter omnes seruos tuos נאמן id est, fidus, sicut Dauid? Item Esaiæ 22. Figam eum clauum in loco נאמן Firmo ac stabili. Eadem quoq; significatione appellatur Deus fidelis. Deutero. 32. & 1. Corinth. 1. Et Psalm. 111. Fidelia omnia opera eius, quia sit uerax & in suis promissis constans, eaq; quæ dicit, rata faciat, & irrita esse non patiatur. Atq; hactenus de hac uoce in prima coniugatione.

Sunt porro apud Hebræos uerba quædam, quæ in prima coniugatione significant qualitate aliqua, uel motu præditum esse. In tertia uero significant eam qualitatem, uel motum alterius iudicio uerbis & asseueratione alteri tribui, ut צַדִּיק in prima coniugatione significat iustũ esse, הִצְדִּיק uero

Quorundam uerborum proprietas.

uero in tertia coniugatione significat iusticiam tribuere, iustum reputare, absoluere. Sic רשע impius fuit הרשיע condemnauit. Horum uerborum testimonia non adscribo, quod sunt satis nota & crebra. Item בזב mentiri הכזיב mendacij arguere, ut Iob. 24. Sic & Esaiæ. 29. legitur מחטיאי qui peccare faciunt hominem in uerbo, & arguentem in porta illaqueabunt, id est, qui tribuunt eius uerbis peccatum, seu calumniantes eius uerba. Et אשם deliquit, האשים Psalmo 5. pronunciauit transgressorem, condemnauit, puniuit. Hunc eundem hebraismum & Paulus Ro. 5. expreßit his uerbis. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis האשמנו peccatores constituti sumus multi, sic & per obedientiam unius iusti constituentur יצדקו multi. Et Rom. 8. peccatum condemnauit de peccato האשים id est, non solum condemnauit, sed etiam (per Metalepsin uel Synechochen) peccatum condemnatum puniuit, interfecit, abolcuit.

Similitudo horum uerborũ cum alijs.

Nec ita multum differunt hæc uerba ab alijs uerbis huius tertiæ coniugationis. Nam sicut alia uerba plerunq; eam qualitatem uel motum, quo in prima

prima coniugatione quempiam præditum esse significarunt, in hac coniugatione in alium transfundere dicuntur, ut יטב bonus fuit חיטיב bonum fecit aliquid, ut Ierem. 7. Bonas facite uias uestras. ישר rectus fuit חושר direxit גדל magnus fuit חגדיל magnum fecit. חכם sapiens fuit החכימ sapientem fecit קומ surrexit חקימ excitauit. שכב iacuit חשכיב fecit iacere, חלה חחלי חיה חחיה גבר חגביר. Sic hæc uerba illam qualitatem, qua aliquem præditum esse in prima coniugatione significarunt, in hac significant in alterum transferre, non re, sed testimonio suo ac uerbis, ut צדק iustus fuit, תצריק iustum fecit, non re ipsa, sed iudicio, uerbis & assertione sua iustum pronunciauit, absoluit. Est enim uerbum forense.

In hoc igitur conueniunt hæc omnia uerba, quod id, quod in prima coniugatione inesse significabant, in tertia in alterum uel re ipsa uel uerbis transferre significent. Similitudo esse et uideri.

Est autem similitudo quædam eius quod est existere aliquid, & uideri existere, Quare & alie-

lingua

linguæ habent locutiones huiuſmodi, ut latini dicunt tribuere uirtutem, qua phraſi non intelligunt uirtutem alicui re ipſa dare, ſed iudicio ac aſſeueratione alterius alteri uirtutem addicere. Sic germani quoq; dicunt. Frumb machen / zum Lügner machen ꝛc. Sed ſtudio declarandi hunc hebraiſmum longius a propoſito diſceſſimus, iam ad rem reuertamur.

Oſtenditur præcedens proprietas, & in uerbo hæc eſſe.

Sicut igitur in quibuſdam uerbis oſtendimus accidere, ut ſcilicet in prima coniugatione ſignificent quempiam qualitate aliqua præditum eſſe. In tertia uero eandem alteri iudicio & aſſeueratione alterius tribui. Ita & in הֶאֱמִין accidit. Nam in prima coniugatione (ut ſupra dictum eſt) ſignificat ſolidum, firmum ac uerax eſſe. In tertia uero, id eſt, in hiphil ſignificat ueritatem alteri tribuere, eſtq; hoc uerbum in hac coniugatione ſimilimum latinæ loeutioni, tribuere fidem homini uel ſermoni pro credere. Nam alicui credere idem eſt, quod ueritatem ei tribuere. Non credere Deo eſt mendacij Deum arguere. Nec eſt neceſſe, ut hoc prolixius probemus, cum & à principio quædam exempla indicauerimus, & alioqui paſſim in ueteri Teſtamento ſint obuia legenti, quin & in nouo quædam inueniantur, ut Ioan. 3. Qui accipit eius teſtimonium

mium, obsignauit, quod Deus est uerax. Expressit & Paulus, sed aliquanto copiosius hunc eundem hebraismum Rom. 5. Dans Deo gloriam & certo persuasus, quod, qui pollicitus est, posßit etiam præstare, id est, firmiter credendo tribuit Deo gloriam ueritatis ac omnipotentiæ. Sic opinor & illud 1. Ioan. 1. intelligendum, Si dixerimus non peccauimus, mendacem facimus ipsum, & sermo eius non est in nobis. Deus enim per suum uerbum omnes peccati arguit, Qui igitur negat se esse peccatorem, non credit Deo, & ita Deum mendacij arguit. Item, 1. Ioan. 5. Qui non credit Deo mendacē fecit ipsum, Quia non credidit in testimonium, quod testatus est Deus de filio suo.

Significat igitur האמין credere, Primo ac proprie noticiam habere historiæ ac promissionum diuinarum, eisq; assentiri, ut iam dictum est. Deinde etiam significat affectus ac motus animi eam noticiam consequentes, id est, metum minarum, & fiduciam promißionum, quod ut ualidius probemus, primum uniuersalem quandam regulam de uerbis hebraicis noticiam significantibus ponemus ac confirmabimus. Deinde & hoc uerbum ad regulam accommodabimus. Significatio uerbi Haemin.

Regula de uerbis cognitionis.

Plerag; uerba noticiæ apud Hebræos nonsolum ociosam noticiam, seu solam noticiam significant. Sed etiam Synecdochice affectus & actionem noticiam consequentes, seu uiuam ac efficacem noticiam una cum suis effectibus. Ratio regulæ ex ipsa rei natura sumpta hæc est, quod noticiæ rerum agendarum, seu (ut eas aliqui nominant) practicæ, sunt ualde coniunctæ cum motibus uoluntatis & affectibus, Eam ob causam & Socrates uolebat uirtutes esse noticias, & Aristoteles 6. Ethico. docet corruptos mores euertere practicas noticias. Ob hanc igitur noticiarum practicarum & motuum uicinitatem molli transitu hæc uerba à noticia ad motum uoluntatis transeunt, uel etiam utrunq; complectuntur.

Prima ratio regulæ, ex ipsa re sumpta.

Sed iam exemplis Regulam confirmemus, ידע nouit, Psalmo primo, Dominus nouit uiam iustorum, non solum ipsam cognitionem significat, sed etiam affectum noticiam consequentem, nempe quod ei placeat. Item actionem, nempe quod uiam seu uitam piorum tueatur ac protegat. Eiusmodi est & illud nunq̃ noui uos Matth. 7. Et 2. Cor. 5. Christus peccatum non nouit. Et Psal. 9. Exaltabo eum, quoniam nouit nomen meum. Esai. 53. Ser-

uus me-

nus meus iustus noticia sui iustificabit multos. Sic Nahum cap. 1. Dominus nouit fidentes ipsi.

Item ראה uidit crebro motus animi uisionem sequentes significat, ut uidere mortē & uidere bona Hierusalē. Psal. 128. Et Psal. 10. Certe uides, quoniā laborē & dolorem tu aspicies. Et Psal 22. Numerabo omnia ossa mea, ipsi autem intuiti sunt, & uiderunt, id est, magna cum oblectatione spectauerunt. item uerbum respicere toties repetitum uel maxime consequentes noticiam motus significat, id est, curare, tueri &c. Item שָׁפַט iudicauit non solum causæ cognitionem, sed etiam executionem, seu actiones sequentes significat, nempe punire, liberare. Potest plane pluribus exemplis hæc regula probari, Verum uitandæ prolixitatis gratia hoc iam facere nolumus, & alioqui de hoc & alijs quibusdam hebraismis propriam tractationem instituimus.

Hactenus in alijs uerbis noticiæ probauimus regulam, quam superius posuimus, Nempe quod uerba noticiæ apud hebræos non solum cognitionem, sed & effectus noticiæ, ac motus eam sequentes, significent. Nunc & HAEEMIN probabi-

Teſtimonia ſignificationis Hæmin.

mus, (de quo præcipue agitur) ſignificare non ſolum ſimpliciter aſſentiri alicuius uerbis, Sed & fiduciam ex illo aſſenſu generatam in promiſſa, quibus aſſenſi ſumus, habere. Mich. 7. ne taaminu credatis in ſocium, ne confidatis in principem. Vbi idem ſignificant Hæmin & בטח credere & confidere. Notum enim eſt uel ſaltem mediocriter uerſatis in ſacris literis ſæpiſſime idem dici in poſteriori & priori hemiſtichio, uariatis tantum uerbis uel forma orationis. Eodem modo coniunguntur hæ duæ uoces Pſalm. 78. Quoniam non crediderunt in Deum, & non ſunt confiſi in ſalutem eius. Et Iob. 39. Num confides in eum, quia multum eſt robur eius, & relinques ei laborem tuum? Nunquid credes in eum quòd reducet ſemen tuum & fruges areæ tuæ congregabit? Item 2. Par. 20. Audite me Iuda & habitatores Hieruſalem, credite in Dominum Deum ueſtrum & conſiſtetis. Idem uerbum & Dan. 6. eodem modo poſitum inuenitur, niſi quod propter chaldaiſmum eſt nonnihil immutatum. Sic enim legitur, & eductus eſt Daniel de foued, nec erat læſio in eo, quia המין credidit in Deum ſuum. Sic Machab. 2. dicit Mathathias ad filios, Ananias, Azarias, Miſael, credentes liberati

uerti sunt de igne, & addit, quia omnes qui speraut in eum, non infirmantur, ubi clare cernitur, quod credere significat idem, quod fidere. Deutero. cap. 28. clare in hoc sensu uerbum hoc accipitur & pendebit uita tua ante te, pauebis nocte & interdiu, nec credes in uitam tuam, id est, diffides seu desperabis de uita tua. Talis penitus locutio & Iob. 24. inuenitur. Plura exempla inueniri possunt, in quibus hoc uerbum ita accipitur. Ego enim tantum ea collegi, de quibus dubitari non potest, quin hoc modo intelligenda sint.

Cur hæc min rarius fidere significet quàm res ipsa docetur?

Quod tamen aliquanto rarius hoc uerbum in hac significatione in ueteri Testamento inueniatur, quam res ipsa, quæ ubique diligentissime inculcatur, in causa est, quod scriptura multum utitur & alijs quibusdam uerbis aliquanto magis proprie fidere significantibus, ut בטח, חסה, רמה, שׁשׁק, & alijs quibusdam, præcipue tamen duobus primis, quorum maxime propria significatio est fidere, seu confidere.

Nec dubium est, quin hæc duo uerba idem significent penitus, quod sæpe & ut rem exemplis comprobemus, omnia hæc dicta idem significare uidentur, etiamsi

sint diuersis uerbis expressa, ut cum dicit Ioan. 6. Qui credit in filium habet uitam æternam. Et Esai. 28. Roma. 10. Hamaamin, omnis qui credit non confundetur. Et Psalmo. 2. Beati omnes חוסי qui confidunt in eo. Et Esai. 26. Seruabis pacem pacem, quando in te batuach confisum est. Et Esai. 50. Qui ambulat in tenebris, & non est lux ei יבטח Confidat in nomen Domini, וישען & innitatur in Deum suum. Sic enim scilicet liberabitur ab istis malis.

Nam plane quemadmodum in nouo Testamento Spiritus sanctus remissionem peccatorum & omnia bona pollicetur credenti, ita in ueteri Testamento confidenti, Quanquam & credenti aliquoties, Sed tamen sæpius utitur uerbo confidere, ac perinde exigunt Prophetæ credere & confidere in Dominum, Sicut Christus & Apostoli præcipue ipsum credere & fidem.

Cur uetus Testamentum fidere, nouum credere, magis inculcet.

Ratio huius diuersitatis nempe quare in tradenda doctrina de fide Christus & Apostoli usi sint magis uerbo credere, Prophetæ uero uerbo fidere, est confidératione pietatis studiosi hominis dignissima. Ea enim perspecta rectius cognosci possit

set consensus doctrinæ noui & ueteris Testamenti, & ipsa quoq; uox ac res fidei fieret multo notior & certior.

Prophetæ ut Dauid, Salomon, Esaias, Ieremias, & sequentes eo tempore docuerunt, quo doctrina de Deo satis nota fuit, nec quisquam admodum erat, qui negaret unum Deum creatorem cœli & terræ Deum Abraham, Isaac & Iacob, qui Israelitas ex Aegypto eduxerat, quiq; sibi nomen יהוה assumpserat, esse uerum Deum colendum ab omnibus hominibus, quin ne Idolatræ quidem tam dubitabant, quis sit uerus Deus, quàm quo modo colendus. Cum igitur eo tempore essent Prophetæ, non tam necesse erat eos noticiam inculcare, quæ & facilior est & tunc in populo à plerisq; tenebatur, (sed ociosa seu mortua sicut & nostro tempore) quàm fiduciam in Deum, quæ est perdifficilis, & ne quidem à renatis satis præstari potest. Quare eam partem diligenter inculcarunt Prophetæ, & in primis Psalmi, nusquam enim nō est obuium, Confidite, fidite, in Domino fisus sum, paratum est cor eius fidere, & expectare Dominum, confirmetur & confortetur cor tuum & expecta Dominum.

Ingens omnino numerus est locorum præci-

pientium fiduciam, ac misericordiam Dei, aliaq; bona omnia fidentibus promittentium, quos hic recitare nimis prolixum esset, quanq; ex hisce testimonijs uetus uersio multa nobis abstulit, quæ sæpe hæc uerba per sperare transtulit, cum tamen magis proprie per confidere transferri poterant.

At tempore Christi & Apostolorum non solum non extabat uulgo uera notitia de Messia, quin potius contraria à plerisq; Iudeis habebatur, Vt quod Messias uenturus sit non forma tam contemptibili, sicut uenit, sed magnifica ueluti Rex, qui non Deus sit, sed homo, non qui salutem faceret per mortem suam populum à peccatis, sed qui liberaret populum per aliquam insignem victoriam Romanorum à seruitute omnium gentium. Ad hæc erat per difficilis doctrina de Trinitate personarum, quæ & alioqui antea obscurius reuelata fuerat, & culpa doctorum tunc pene erat intermortua. Postremo erat etiam spargenda doctrina inter Ethnicos, quibus (exceptis paucis,) doctrina Ecclesiæ aut penitus ignota erat, aut superstitiosa uidebatur.

Quare ualde necesse fuit diligenter auditoribus inculcare etiam ipsam noticiæ fidem, sine qua altera nempe fides fiduciæ plane tradi non poterat.

Prius

prius enim oportet agnoscere saluatorem, postea eo fidere.

Ob hanc igitur causam oportuit eos eiusmodi uerbo fidem & credere significare, quod & noticiam et fiduciã diserte significaret, id est, et agnoscere bona per Euangelium humano generi allata, & ea amplecti ac illis frui.

Haec est causa quare Christus & Apostoli rem penitus eandem, nempe uiuam in Deum fidem alia uoce docuerint quàm sæpe Prophetæ, quæ ideo diligenter obseruanda est, ne, cum uerborum aliquam diuersitatem in duobus testamentis audimus, etiam res diuersas esse putemus. Sed ut sciamus & illas ipsas omnes sententias, quæ de fiducia in Deum concionantur, ad doctrinam de fide pertinere, eoq; referendas esse, et spiritum sanctum semper diligenter inculcasse doctrinam de fide Deo fidente, remissionem peccatorum ac omnia bona ab eo emendicante, eamq; doctrinam tanquam extremè necessariam diligentissime in Ecclesia retinendam esse, præsertim cum tanta nube testimoniorũ ueteris ac noui Testamenti septi simus, ut postea adhuc prolixius exponemus. Nota.

Haec eadem quoque est causa, quare uer-

bum הֶאֱמִין non tam crebro in ueteri Testamento fidere significat, quàm in nouo πιστεύειν, quod nempe Prophetæ non tantum hoc uno uerbo fidem Deo fidentem inculcauerint, Sed etiam alijs, (idq; multo frequentius) magis proprie rem exprimentibus.

Verbi Hæemin constructio.

Habet quoq; uerbum Hæmin, diuersam constructionem in his diuersis significationibus. Nam cum tantum noticiam significat, plerunq; cum Dativo à parte posteriori construitur. Cum uero etiam fiduciam, tunc cum præpositione ב in & ablatiuo, sicut & uerbum חסה ש בטח, iuxta quam diuersam constructionem usitatum fuit, & est in Ecclesia græca & latina, uerbo credere diuersa significata tribuere. Sed de his hactenus, iam ad græcæ uocis explicationem transeamus.

Significatio uerbi πιστεύω,

Quemadmodũ de Hæmin diximus, ita plane et græcũ πιστεύω (quod in nouo Testamento scriptura usurpat) non solum cognitionem proprie significat, Sed & confidere figurate, nec id solum in sacris literis. Verum etiam apud prophanos autores, ut Aeschines contra Ctesiphontem statim à principio sic inquit.

Ἐγὼ δὲ πεπίστευκὼς ἥκω, πρῶτον μὲν τοῖς θεοῖς,

ταῖς λέντερον δὲ τοῖς νόμοις, καὶ ὑμῖν, ἡγούμενος οὐδεμίαν παρασκευὴν ἰσχύειν παρ' ὑμῖν μεῖζον τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων. Item, Diodorus libro 16. ὁδε βραδύλλις πιστεύων ταῖς τε προγεγενημέναις νίκαις καὶ ταῖς τῶν ἰλλυριῶν ἀνδραγαθίαις, ἀπήντα τοῖς πολεμίοις μετὰ δυνάμεως. Item, Lysias in Epitaphio. ταῖς δ' αὐτῶν ψυχαῖς πιστεύσαντες καὶ τῶν ἐπιόντων καταφρονήσαντες οἱ γεραίτεροι καὶ οἱ τῆς ἡλικίας αὐτὸς γεγονότες, ἠξίουν αὐτοὶ μόνοι τὸν κίνδυνον ποιήσασθαι. Et Phocylides μὴ πιστεύε τάχιστα πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψει. Item, λαῷ μὴ πίστευε &c. Et Alexis κἂν εὐτυχῇ τὶς, ὡς ἔοικε προσδοκᾶν ἄει τι δεῖ, καὶ μὴ τὶ πιστεύειν τύχῃ. Et Menander μηδ' αὐτὸς, εἰ σφόδρ' εὐπορεῖς, πίστευε τούτῳ, μήτε τῶν πτωχῶν πάλιν ἡμῶν καταφρόνει. Sic Arist. sepe in polit. dicit proprium esse Tyran. & oligarchiæ, μὴ πιστεύειν τοῖς πολλοῖς. Sic apud Plutarchum interrogatus Solon, τίνι πιστεύων auderet resistere Pisistrato? respondit, τῷ γήρᾳ.

Testimonia significationis uerbi πιστεύω.

Extant paßim apud bonos autores exempla huius uocis in hac significatione acceptæ, quare nihil opinor necesse esse plura hic congerere testimonia

nia ex ſacris literis de hac ſignificatione poſtea citabuntur. Hactenus de uerbo, iam de nomine fidei dicamus.

De ſignificatione emuna.

Nomen quoq; אמונה, ωίστις, fides primo ſignificat ueritatem & conſtantiam in ſeruandis pactis, ſicut & apud latinos. Exempla ſunt paſſim obuia, ut Pſal. 89. ſæpius legitur. Predicabo ore meo fidem tuam. Item fidem tuam in cœtu multo. Et fides mea ac miſericordia mea cum eo. Item, Pſalm. 98. Recordatus eſt benignitatis ſuæ ac fidei ſuæ. Item Roma. 3. Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?

Deinde ſignificat fidem, de qua in Eccleſia loquimur, nempe qua credimus Deo, eoq; fidimus, Vt Abacuc 2. Iuſtus באמונתו fide ſua uiuet. Nam ſola noticia nemo uiuit, Igitur fides eſt nõ ſolum cognoſcere utcunq; doctrinam & promiſſiones Euangelij, ſed & ambabus ulnis illas amplecti & niti ſeu fidere illis. Eſaiæ 33. Et erit fides tuo tempore, potentia, ſalus, ſapientia & ſcientia. Et Ieremi. 7. Hæc eſt gens, quæ non audit uocem Dei ſui, & non admittit correctionem, periit fides & excisa eſt de ore eorum. Item Eſaias cap. 26. definit fidem hoc modo. Fides eſt firma cogitatio, quod ſeruabis

nobis pacem, pacem, quando in te confiditur.

Esset sane hic locus pro sua præstantia dignissimus, qui & copiose declararetur & postea loco definitionis fidei, (quæ hic recte comprehenditur,) poncretur. Verum ego cum iam breuiter (quantum fieri poterit) declarabo, & inter ista grammaticæ explicationis testimonia collocabo. Definitio fidei Esai. 26. explicata.

Ac primum quidem nemo negare potest, quin illud caput sit prophetia de regno Messiæ. Deinde obseruandum est institui integram cantilenam de ea re, in qua cantilena, si diligenter ordinem sententiarum obseruauerimus, facilius uerum loci sensum animaduertemus.

Primum inquit, in die illa cantabitur canticum hoc in terra Iuda. Vrbs fortis est nobis, Salutem ponet murum & antemurale. Hic primum Propheta condit ciuitatem quandam munitissimam, cuiq; non est periculum ab hostib. Per hanc ciuitatem significat ueram Ecclesiam, id est, cœtum Deo uerè placentium ex omnibus gentibus colligendum.

Postea dicit, aperite portas, intrabit gens &c. in qua parte non est dubium, quin ciues in hanc ciuitatem adscisendi nominentur.

Tertio

Tertio, quia non quiuis temere hac ciuitate donabitur, proprias quasdam notas eorũ, qui in hanc ciuitatem inscribentur, depingit inquiens: Intrabit gens iusta seruans fidem. Quod fidem lego, sequor multorum doctorum sententiam, & non dubito, quin secundum usitatum hebraismum pluralis numerus pro singulari ponatur. Prædicit igitur fore illam gentem iustam, nempe illa iusticia, de qua Paulus Roma. 3. loquitur. Nunc uero sine lege iusticia Dei patefit, id est, iusticia fidei, qua iustificati pacem habemus erga Deum. Sed non est iam nostri instituti hanc uocem prolixius declarare.

Deinde dicit seruaturam fidem, Per fidem hic non est intelligenda fides, quæ in contractibus requiritur, & in politica societate est necessaria, Nam per eam non ascribimur in cœtum adoptatorum, Sed ea fides, de qua dicit Ioannes, quod per eam filij Dei fiamus.

Quarto sequitur iam, Cogitatio firma, quod seruabis &c. Quæ pars procul dubio est præcedentium, uocis nempe fidei explicatio, alioqui hæc sententia & non cohærebit præcedentibus, & propemodum nihil significabit. Proinde erit præcedenti-

bus

bus, per אשר, id est, quæ, copulanda. Quia hoc relativum persæpe apud hebræos subintelligendum deficit, ut hoc modo cohæreat textus, Intrabit gens iusta, retinens fidem, quæ est cogitatio firma, quòd custodies pacem. Interpono & כי, id est, quòd, nam consentientibus multis doctis hæc particula sæpe consuetudine hebraica deest.

Hoc modo accipiendum esse hunc locum cum ordo sententiarum, tum textus ipse conuincit. Nam alioqui propemodum nihil significabit. Proinde sic erit totus locus legendus. Intrabit gens sancta retinens fidem, quæ est firma cogitatio, quod tu (scilicet Domine Deus) seruabis pacem pacem (id est, ueram ac perpetuam pacem, quam mundus dare non potest) quando in te confiditur. Hic certe sensus & fidei est ἀνάλογος, id est, consonans, & omnes huius loci sententias rectißime copulat. Primum enim describitur ciuitas & eius commoda, id est, uera Ecclesia, in qua est Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti. Deinde significantur & ciues in hanc ciuitatem inscribendi, & eorum præcipua nota nempe fides. Tertio additur quid sit fides. Quarto diligenter hortatur Propheta omnes ad hanc

ad hanc fidem Deo præstandam. Addit & promissiones, quo hanc fidem confirmet, Quoniam in Domino est auxilium perpetuum, seu, ut cuidam doctißimo uiro placet, quoniam in Christo est perpetuum auxilium. Simile est huic definitioni & illa fidei descriptio Psalm. 112. Paratum est cor eius confidere in Domino, corroboratum est cor eius, non timebit &c. Nam sicut hic est יצר סמוך firmata cogitatio, sic in Psalmo est סמוך לב firmum cor, נכון לב paratum cor. Atq; hæc possunt esse uice generis fidei. Sequentia uero (id est in Esaia, quod custodies pacem, quando in te confiditur. Et in Psalmo, Confidere in Dominum, &, non timebit donec uideat in inimicis suis, scilicet, optatum eucntum) possunt esse loco differentiæ uel proprij fidei. Sed de his hactenus.

De significatione πίστεως.

Verum in nouo Testamento est aliquanto hæc uox usitatior in hac significatione, quàm in ueteri. Vnde quoq; facilius potest huius uocabuli significatio probari, Quare & inde locos aliquot citabimus, quibus ostendemus fidem significare fiduciam. Priusquam autem ad ipsorum locorum enumerationem ueniamus, utile fortaßis fuerit & argumenta quædam

ta quædam perpendi, & eruditorum hominum de hac uoce iudicia audiri. Argumenta sunt hæc.

Tria argumenta quòd fides sit fiducia.

In ueteri Testamento (quod est notissimum) scriptura multum inculcat fiduciam in Deum ac eius promissiones, & pollicetur confidentibus in Deum fauorem Dei ac omnia bona. Certum autem est in hac parte doctrinam non esse immutatam Christi tempore, Igitur & in nouo Testamento fauor Dei, remissio peccatorum, aliaq; bona accipiuntur per eiusmodi quendam animi motum, quo Deo fidimus, qui cum alius esse non possit quàm fides, huic enim nouum Testamentum remissionem peccatorum, & alia bona pollicetur, sequitur necessario fidem esse fiduciam. Primum.

In nouo Testamento nullo admodum uerbo inuenitur Deo fidere, nisi forte uerbo credere, cum quidem non sit dubium, quin longe magis hic animi nostri motus erga Deum in nouo testamento exigatur, q̃ in ueteri, quia in eo uere & Deus placatus & bona omnia auditoribus per Euangelium offerantur, quo demum placato Deo, uere fidere & possumus & debemus. Proinde cum alio uerbo non doceatur fiducia in Deum, & tamen eam multum do- Secundum.

ceri dubium non sit, necesse est per hoc ipsum uerbum πίστευω fiduciam doceri. Et hoc uerbum πίστευω seu credere non solum noticiam historiæ, sed & fiduciam significare.

Tertium. Omnes Christiani debent quotidie petere remissionem peccatorum à Deo, ac fauorem ipsius. Omnes qui uolunt uere orare, debent (præcipiente sic eis Christo Marci 11.) credere quod ea, quæ petunt nanciscantur.

Igitur plane necesse est omnem Christianum credere, se nactum esse fauorem Dei, & non dubitare de Dei erga se uoluntate. Sed plane fidere eo tanquam patre benignissimo. Quod si quis dubitat, is profecto indicat se non uere orasse. Proinde quandoquidem Christus ipse mandat, ut orantes credant se exaudiri, & nemo uere orat, nisi qui credit se exauditum, & nactum remissionem peccatorum ac misericordiam Dei, quam in oratione petiuerat, necessario plane sequitur, firmissime fidendum esse Deo, cuius fauorem per orationem nacti sumus, atq; adeo fidem esse fiduciam. Sed iam & eruditorum hominũ irrefragabilia testimonia de huius uocis significatione audiamus.

Erasmus & Budæus uiri cum alijs pluribus nomini-

nominibus laude dignißimi, tum & græcæ linguæ callentißimi, affirmant hanc uocem, nempe fidem ſæpe in nouo Teſtamento poni pro fiducia in Deum. Eraſmus quidem hoc ſæpe in Annotationibus facit, ut ſuper cap. 10. ad Hebræos, & alibi. Super 1. ad Roma. inquit, Fidem frequenter ſacræ literæ uſurpant pro fiducia erga Deũ, ut non multum differat à ſpe.

Sententia Eraſmi et Budæi de ſignificatione πίστις.

Budæus uero in Commentarijs græcæ linguæ ſic ſcribit, Fides non modo credulitatem, ſed & rei compertæ exploratæq; fiduciam ſignificat. Et paulo poſt, Nos autem fidem rerum diuinarum uocamus, ut principes Theologi uocauerũt, πεποίθησιν. Hactenus Budæus. Ex hoc loco uidemus nonſolum ipſum Budæum, ſed etiam principes Theologos ſentire, quod fides ſignificet fiduciã. Nam πεποίθησις proprie fiduciam ſignificat.

Sed iam ipſos locos noui Teſtamenti recenſeamus, qui procul dubio erunt certißimi teſtes de ſignificatione huius uocis. Citabimus autem promiſcue locos, in quibus eſt nomen πίστις fides, & ipſum uerbum πιστεύειν credere. Nam eadem res utraq; dictione ſignificatur.

Teſtimonia ſignificationis πίστεως ex nouo Teſta.

Apoſtolus ad Heb. 11. clare affirmat fidem eſſe

Definitio fidei Heb. 11. explicata.

ὑπόστασις quid significet.

expectationem rerum sperandarum, Expectare autem à Deo, est idem quòd fidere eo, Nam quod uox ὑπόστασις significet expectationem, potest ex tertio capite eiusdem Epistolæ probari, Vbi etiam hortatur Paulus ad fidendum Deo, & à diffidentia dehortatur. Item ex Psalm. 38. Vbi septuaginta pro תוחלתי quod spem & expectationem significat, uoce ὑπόστασις utuntur. Quanquam & Polybius probatus autor græcæ linguæ uocem hanc pro confidentia accipit, Cum scribit Hetruscos confidentia & audacia Coclitis esse perculsos. Sunt autem hæc inter se coniunctißima, certo expectare aliquod bonum, & illo fidere. Potest etiam ex ipsius uerbi ὑφίσταμι Etymologia hæc significatio perpulchrè erui. Quare ne pigeat nos pauxillum in huius uocis explicatione immorari. Spero enim eius bonam cognitionem multum lucis huic toti materiæ allaturam esse.

Videtur autem proprie & primarie significare, audere sub graui aliquo pondere stare, aut irruentem in te molem audere humeris excipere & expectare, ut Plutarchus in Demetrio inquit, Nemine hostium ὑφισαμένου expectante, Sed fugientibus & deserentibus ciuitates, & alioqui græci

ὑποστά-

ὑποστάτην eum militem nominant, qui audet aduenientem hostem expectare. Sicut Cocles solus audet Hetruscorum irruentium impetum expectare, & in se excipere. Eadem significationis origine & græcum ὑπόμενω est compositum (quod etiam sæpe confidenter expecto significat) ueluti si dicas audeo manere sub illo aduenienti pondere, ac sæpe admodum ὑπομονὴ pro spe & expectatione in bibliis ponitur, Vt Psal. 38. Vbi in eodem uersu tanquam idem significans cum ὑποστασις coniungitur, καὶ νῦν τίς ὑπομονή μου, οὐχὶ ὁ κύριος; καὶ ἡ ὑπόστασίς μου παρὰ σοῦ ἐστιν. In quo ὑπομονὴ ponunt septuaginta pro קויתי.

Potest uideri & germanicum vnderstehen eadem Etymologiæ ratione compositum esse. Significat enim & illud uerbum audere aliquid difficile suscipere, ac ueluti aduenientem difficultatem expectare, sub eius pondere stare, eamq; tuis humeris excipere.

Nec quicquam nobis in hac explicatione difficultatis ex eo obijci potest, quod obiecta sint diuersa. Apud Paulum enim significari rem bonam, quæ fide expectetur. In Coclitis uero expectatione apud Polybium, & in nostra Etymologiæ explicatione,

significari obiectum aliquod graue & molestum. Nam in eo omnes istæ significationes conueniunt, quod significant difficilem expectationem.

ὑποστάσεως difficultas.

Sæpe enim non est minor difficultas expectare promissiones diuinas quàm graue aliquod pondus in nos ruens excipere & sustinere. Quam difficultatem ὑποστάσεως etiam imago Christophori exprimere uidetur. Qui cum fuerit tantus gigas, tamen tantillum puerum, tamq; amabilem, cum tanta difficultate gestauit, nec eum tandem gestare potuisset, nisi se arbore quadam, nempe uerbo Dei, mox per fœlicem expectationis euentum flores producturo firmiter sustentasset.

Profecto non cum maiore animi molestia Cocles expectauit impetum hostium in se irruentium, quàm Israelitæ ad mare rubrum illam liberationem, quam eis Moses Dei nomine pollicebatur. Cum clamaret ad eos. Nolite timere, state, & uidebitis salutem Domini. Quare cum sit tanta huius ὑποστάσεως difficultas, paucissimos ibi constitisse ex eorum uocibus desperatione plenissimis animaduerti potest.

Ac mihi

Ac mihi quidem (ut obiter animi mei dolorem indicem) profecto iam ualde liberet istorum hominum inscitiam uel cæcitatem potius deplorare, qui cum existiment fidem esse tantum noticiam, putant fide nihil facilius esse, ac dicunt perfacilem fore salutem nostram, latissimamq; uiam ad regnum cœlorum, si tantum per fidem nos saluari credendum sit, cum nec Israelitæ unquam, nec ipse Moses semper, aut etiã Apostoli satis firmiter Deo credere potuerint, quamuis tam multis, tam frequentibus, tamq; mirabilibus præsentiæ diuinæ signis adiuti.

Sed omittamus inutiles lachrymas, ac pergamus & hoc testimonium sententiæ nostræ explicare, & alia plura recensere. Fortassis enim uel horum copia aliqui iram Dei timentes admoniti incipient rectius sentire.

Hoc modo si uocis huius Etymologiam considerauerimus, animaduertemus Apostolum (uti selectum Spiritus sancti organum decuit) definiuisse fidem tali quadam quasi militari uoce, qua clarissime denotaret fidem esse eiusmodi animi Christiani constans robur, quo luctetur contra omnes tentationes diaboli, carnem, mundum, omniaq; Chri-

ſtianum hominem oppugnantia, quæ plurima ſunt, quin & contra malam conſcientiam, iram Dei, dilationem promiſſionum, ac (ut ita dicam) contra Deum ipſum, ſicut Iacob, Gene. 32. in grauiſſimo rerum ſuarum diſcrimine ſolus tota nocte orans luctatur cum Deo auxilium differente, aut ſe opitulaturum diſſimulante, ac tandem pertinaci fide victor optatis potitur. Huic ſingulari luctæ poſtea non diſſimile fuit certamen illud, in quo Cananæa mulier fide pertinaci inſtando Chriſtum uicit.

Eandem ueræ fidei ἐνέργειαν, & Petrus 1. cap. 5. & Paulus Ephe. 6. exprimunt cum Chriſtianũ hominem pingunt uere ὑποστάτικον quendam Aiacem, qui tamen fide ſtet, quiq; ſit quodam fidei ſcuto ἐπταβοείῳ, id eſt, ſeptemplici tam bene munitus, ut eo omnia tela ignita Diaboli tuto excipere ac extinguere poſſit, eoq; contra omnes Diaboli inſultus ac impetus victor euadat.

Hoc nimirum ſcuto, id eſt, in Chriſtum confidendo mundus uincitur, & olim regna à ſanctis uiris expugnata ſunt, & omnes aliæ res præclaræ geſtæ, quæ ad Hebræos 11. & paſſim in ſacris literis

recen

recensentur. Sed de hoc loco hactenus, iam ad alio-
rum testimoniorum considerationem transeamus.

Ad Ephesios 4. dicit Paulus nos per fidem'au-
dere accedere ad Deum confidenter. Qua uidelicet fi- Alia testi-
gnificanti fidei descriptione clare ostendit Paulus, monia.
fidem esse illum ardorem à spiritu sancto excitatum
in corde nostro, quo clamamus Abba pater. Sic de
Deo omnia bona nobis pollicemur, Sic ab eo omnia
bona expectamus ac flagitamus, tanquam à patre be-
nignissimo dilecti liberi. Cuiusmodi affectus seu ar-
doris potius uiuum exemplum nobis Cananæa mu-
lier ob oculos exhibet, quæ cum fideret Christo, si-
biq; de eo omnia bona polliceretur, nullis modis re-
pelli poterat, quin pertinacissime ab eo opem flagi-
taret, ac quasi rem debitam exigeret, certoq; sibi
nulla habita ratione suæ indignitatis persuaderet, se
esse impetraturam, quod cupiebat. Eum porro ar-
dorem Christus appellat magnam fidem.

Item Matth. 9. Christus appellat fidem illam
cogitationem Hæmorroissæ, qua illa sibi certo per-
suaserat, indubitateq; sperabat, Christum sibi vale-
tudinem esse restituturum, si uel fimbriam eius atti-

gerit, quæ expectatio nequaquam erat ſolit notitia, quod ſit unus Deus in tribus perſonis &c. qualis in Diabolis & impijs eſt, qui non accedunt Deum imploraturi eius auxilium, Sed horribiliter eum fugiunt, ac oderunt.

Plura teſtimonia adduntur.

Poſſent ſane hi loci abunde probare πιστιν, fidem ſignificare non ſolum noticiam, ſed etiam fiduciam. Verum age addamus plures adhuc, ut uel ſic aduerſarios ucram de fide doctrinam oppugnantes conuincamus, ac ſiquidem eos ſanare non poſſumus, ſaltem ἵνα ἐπιστομίσωμεν αὐτούς.

Sirach 32. legitur, μὴ πίστευσης ἐν ὁδῷ ἀπροσκόπῳ, id eſt, ne fidas uiæ planæ. Matth. 6. appellat Chriſtus ὀλιγοπιστίαν, id eſt, modicam fidem, ſeu propemodum nullam fidem, diffidere de Deo, quaſi ſit nobis neceſſaria ad uictum ſuppeditaturus. Fidere igitur firmiter Deo, quod is ſit nobis & neceſſaria ad uictum & alia omnia bona propter ſuam miſericordiam iuxta ſuas promiſſiones daturus, eſt uera fides.

Marci 2. & Lucæ 5. ubi narratur hiſtoria, quod quidam paralyticum per tectum, cum alia ratione

tione nequirent, ante Christum demiserant, fidem appellat Christus illam eorum cogitationem, qua & optabant, & sperabant Christum sanaturum esse illum miserum ægrotum, & nullo modo dubitabant, quin pro sua omnipotentia ac bonitate & posset, & uelit eis in ea re opem ferre. Si enim dubitassent, nunquam profecto illi cum tanto labore tam importune, ac tam quasi impudenter infirmum illum obtrusissent.

Ioannes cap. 5. primæ Epistolæ sic ueram ac uiuam fidem describit. Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomine filij Dei, ut sciatis, quod uitam æternam habetis, & ut credatis in nomine filij Dei. Et hæc est fiducia, quam habemus apud eum, quod si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quod audit nos, quicquid petierimus, scimus quod habemus petitiones, quas postulauimus ab eo. Ex quo loco Ioannis aperte discimus, credere ac ipsam fidem esse fiduciã, qua certo statuimus, quod Deus nobis propicius est propter Filium suum, nostrasq; preces exaudit. Sicut & Marci 11. præcipit Christus, ut cum ora-

cum oramus credamus nos exaudiri, & promittit nos exauditos iri his uerbis. Propterea dico, uobis quæcunq; orantes petitis, credite quod accipitis, & erunt uobis.

Epilogus præcedentium testimoniorum.

Tres gradus fidei.

Ex his testimonijs clare animaduerti potest, uocem fidem, cum de uera piorum fide dicitur, significare neq; ociosam notitiam, qualis etiã in Hypocritis, aliisq; similibus hominibus est, qui neq; uere perterrefiunt minis Dei, nec promissionibus ad fidendum Deo excitantur. Neq; etiam noticiam, quæ tantum perterrefaciat impios ac operetur iram, qualis est in desperantibus, ut in Iuda, Cain, Saule, & similibus, omnium autem maxime in Diabolis ipsis, qui etiamsi habeant Dei, eiusq; uerbi cognitionem. tamen non accedunt ad Deum imploraturi eius misericordiam, sed eum horribiliter fugiunt, ac oderunt. Sed significare eiusmodi noticiam, quæ etsi primo quidem peccatorem cognitione legis perterrefacit, ac uetere hominem interficit tamen postea Euangelio ac Spiritu sancto ita eundem instaurat, regenerat, ac animat, ut ausit Deum creatorem cœli & terræ suum patrem appelare, sibiq; omnia bona de eo, quanquam indignus polliceri.

Possent & alia multa testimonia de significatione

tione huius uocis colligi, ut omnia possibilia sunt credenti Marci 9. Item, ut omnes qui credunt in eum non pereant, sed habeant uitam æternam, Ioan. 3. Item, Qui credit in me non sitiet, & qui credit in filium habet uitam æternam Ioan. 6. Item, Omnis qui credit in me non morietur in seculum Ioan. 11. Ac alia his similia quàmplurima, in quibus omnibus ac similibus planè necesse est, uerbum credere nobis aliquid longe amplius ac maius significare, quàm simplicem noticiam. Sed hæc abunde satisfacient candide ac pie (uti uere Christianam hominem facere oportet) ueritatem quærenti.

Qui uero ex his testimonijs non potest animaduertere, fidem in sacris literis non tantum cognitionem solam, sed etiam motum consequentem significare, nempe fiduciam in oblatam & agnitam misericordiam Dei. Is non suam tarditatem, quæ nulla tanta esse potest, accusat, Sed pertinacem impietatem, qua uidens non uult uidere, & audiens nõ uult audire, Sed obturat aures suas instar aspidum surdarum, (quemadmodum Psalmus 58. de impiorum furiosa pertinacia loquitur) ac sedulo cauet, ne discat, ut bene faciat.

Sed

Expositio loci Eccl. 9. Neq; amorem, neq; odium &c.

Sed apud aduersarios, candidos scilicet ueritatis inquisitores, plus ualet unicum Ecclesiastæ dictū, quàm tota hæc grauissimorum clarissimorumq; testimoniorum copia, ac quàm omnia omnino dicta scripturæ fiduciam in Deum expresse mandantia, quæ penè infinita sunt. Age igitur uideamus, quid tandem hoc testimonium habeat in se firmitatis, quod pro ipsorum sententia faciat. Ecclesiastæ. 9. sic legitur, Neq; amorem, neq; odium nouit homo. Id illi ita uolunt intelligendum esse, quod nemo hominum, neq; pius neq; impius, ullo modo scire possit, an eum Deus uel amet, uel odio habeat. At hoc quid aliud est, quam semel & Spiritum sanctum ABBA pater in cordibus piorum clamantem, & uniuersam scripturam, & conscientiam ipsam ex rerum natura tollere.

Peruelim sane interrogare eos, num uel principium orationis dominicæ, in quo Deum appellamus patrem, unquam recte perpenderint. Nam Deum certe nemo ex corde patrem appellare poterit, qui non statuerit fide, se propter Christum à Deo adoptatum esse, sibi eum propicium esse, ac erga se plane paterno animo præditum. Ita uidemus nostros aduersarios nunquam omnino dicere uere

& ex

& ex corde pater noster, quin & doctrinam huic principio orationis penitus contrariam in Ecclesiam Christi inuehere.

Sed nos iam hæc missa facientes uideamus, quis tandem loci germanus sensus sit, quod ex contextu rectissime perspici poterit. In proxime antecedentibus dicit se ratione sua uarios rerum euentus, (Sensum recito non uerba,) mirabilemq; uitæ huius cursum inspexisse, ac inde uoluisse certam aliquam ueritatis cognitionem concipere. Verum non potuisse nec se nec alium quenquam sapientem. Postea subiungit istud dictū. Neq; amorem neq; odium nouit homo, & statim addit, Vnus est omnibus euentus iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, sacrificanti & non sacrificanti.

Hic clare dicit Ecclesiastes sua ratione se intelligere non potuisse, quis Deo placeat aut displiceat, quandoquidem bonos et malos eodem modo interire uiderit. Idq; uerissimum est. Ratio perinde iudicat à Deo negligi Paulum ac aliquem latronem, qui eodem tempore supplicio afficitur. Non aūt hoc uult Ecclesiastes, nullam fidem minis aut promissionibus Dei tribuendā esse, uel dubitandū de Dei uoluntate erga nos. Sed pronūciat hæc secundū rationis iudicium, sicut

um, sicut & paulo ante hunc locum dixit, nihil aliud esse sub sole melius, quàm comedere, edere, bibere & lætum esse.

Illud certe ex sacris literis nobis plane constat, & indubitatum esse debet, quod omnes impœnitentes Deus oderit. Nam ad hoc prædicatur Lex, ut per eam sit cognitio peccati & iræ Dei contra peccata ac peccatores. Et rursus omnes pœnitentes ac per CHRISTVM remissionem peccatorum flagitantes, ex iussu omnipotentis Dei clamantis, Hic est filius meus dilectus hunc audite, certo debent credere sibi remitti peccata. Nam Christus clare dicit, Crede fili remittuntur tibi peccata tua, ac propterea ipse & prædicauit remissionem peccatorum, & eam dimittendam prædicari mandauit, ut pœnitentes certo statuant se accipere remissionem peccatorum, quantumuis sint indigni. Quo uero possint omnes pœnitentes certo statuere sibi remitti peccata, etiamsi se hoc tanto beneficio sciant indignissimos, & quo promissio eis rata esse possit, ideo eam Deus, teste Paulo, gratuitam esse uoluit.

Proinde aduersarij dum omnes angulos rimantur, ut inueniant aliquid, quo apud imperitiores quaquá

quidem specie cursum ueritatis impedire possint, nihil aliud efficiunt, nisi ut suum studium non in quærenda, sed in euertenda ueritate declarent. Ac utinam sane omnes bonos uiros sibi hoc exemplum candoris eorum in citanda scriptura proponere, ut ex hac ungula reliquum leonem uel draconem ponant, id est, diabolicum illorum spiritum cognoscere possint.

Significatio uerbi latini credere.

Posset quoq; ostendi, quod & latinum uerbum credo non solum noticiam, sed etiam fidere significet, ut Valerius maximus lib. 6. inquit, Nemo debet nimiæ fortunæ credere, & Vergilius, Ninium ne crede colori, ubi Seruius hoc uerbum per confide exponit. Verum contenti esse debemus ipsius hebreæ ac græcæ uocis explicatione, quibus linguis oracula Dei nobis primitus tradita sunt.

HActenus de ipsa uoce fidei grammatice disputauimus, quanquam & ad rei cognitionem hæc ipsa, quæ hactenus diximus, aliquantulum profutura speramus. Nunc etiam de re fidei aliquid dicamus, (omnia enim, quæ de fide dici possent, persequi, nō est nostri instituti) quo non solum uocis declaratio aliquam lucem rei adferat, sed & rei cognitio uocis explicationem reddat dilucidiorem.

Fides quid

Fidem igitur esse uirtutem quandam, qua toti uerbo Dei credamus, nemo negat. Verum de eo iam maxima est controuersia, num istud credere tantum in quadam historica cognitione consistat, uel etiam ulterius se extendat.

Nobis quidem eorum sententia non improbatur, qui dicunt fidem, cum significat qualitatem in nobis existentem, qua uerbo Dei credimus, habere duas partes, nempe noticiam & fiduciam, sicut & nos superius in explicatione uocabuli per exempla ostendimus. Formam tamen ipsam fidei haud paulo diluci

dilucidiorem fore arbitramur, si aliquanto diligentius ueluti exactiori quadam anatomia partes eius perueſtigentur, ac recenſeantur, ſingulíq; motus ſeu partes in ea exiſtentes ſeparatim ordine, quo ſe mutuo conſequuntur, excutiantur.

PRIMVM igitur eſt in fide legalis cognitio Dei, ac eius uoluntatis, noſtræq; naturæ corruptiſſimæ, ac ob peccata æternæ morti ſubiectæ. Quam cognitionem primum in hominibus uult Deus excitari, atq; ob eam cauſam prædicationem pœnitentiæ primo loco faciendam eſſe præcepit, neq; hoc ipſum caret ſingulari ratione, ut poſtea clarius oſtendetur. Primus motus fidei.

DEINDE ea cognitio, ſi uera ac uiua eſt, generat horribiles pauores in corde ex aſpectu iræ Dei contra nos ob noſtra peccata iuſtiſſimæ. Hanc ſecundam partem ſcriptura & Theologi appellant contritionem, propterea quòd aſpectus irati Dei non aliter cor animumq; miſeri peccatoris frangat, proſternat, ac pene in nihilum redigat, quam ſi magnitudinem quampiam corpoream (exempli gratia columnam) confringas, conteras, contundasq;. Vt ludas antea ſecurus erat, Poſtq; uero aſpexit iratum Secundus motus.

Deum, adeo est conterritus & contritus, ut terro-
ribus illis citissime ad suspendium adigeretur.

Esse autem hæc quoq;, quæ iam diximus, par-
tes fidei, inde animaduerti potest, quòd fides dicitur
esse assentiri toti uerbo Dei, & quia dicimus, Cre-
do in Deum patrem creatorem &c. Item, quia Io-
uæ. } dicuntur Niniuitæ credidisse, cum tamen eis
Ionas nihil aliud quàm minas Dei annunciauerit,
quanquam non est dubium, eos & cognitionem mi-
sericordiæ Dei, ac remissionis peccatorum habuisse,
undecunq; demum eam habuerint.

Contritio qualis esse debeat.

Oportet sane hunc motum plane serium esse,
sufficientem uero etiam, (ut Monachi censent esse
debere) est penitus impossibile.

Nam primum tanta est magnitudo peccati, &
iræ Dei cõtra peccata, ut etiamsi in puluerem redi-
geremur per cõtritionem, nondum tamen esset suf-
ficiens contritio. Si uel ex media parte peccati ma-
gnitudinem ac turpitudinem cerneremus, stat im ex-
animaremur, ut etiam experientia docet. Multi e-
nim terrore iræ diuinæ exanimantur, ut de Ario le-
gitur, & de Aristobulo refert Iosephus. Ipse sanc-
Dei, cum hoc graue onus iræ diuinæ ac peccati pro
nobis

nobis gestaret, sanguinem sudauit. Quomodo igitur possemus nos miserrimi homunciones pro magnitudine peccati & iræ diuinæ sufficienter conteri?

Deinde etiam cauendum est cum semper alias, tum in primis in contritione, ne laqueos conscientijs injcianus. Nam seria contritio, si sit paulo uehementior, est uere quoddam deduci ad inferos, & dolores mortis ac inferni, item laqueos mortis sentire, de quibus Psalmista sæpe queritur. Ex hac tanta morte multi cum magna difficultate, & non sine singulari Spiritus sancti auxilio & consolationibus Euangelicis eluctantur, multi etiam penitus eluctari non possunt, sed pronunciant cum Cain, maior est iniquitas mea, quàm misericordia Dei. Vt recens Ioanni Hofmeister Monacho, maximo Euangelij aduersario accidit, qui integra die uociferando se damnatum, quia sciens Euangelium Christi persequutus sit, mortuus est. Similes historiæ de Latomo ac alijs quibusdam aduersarijs narrantur, quæ diuinæ iræ exempla omnes monent, ut Christum maioris faciant. Cauendi laquei in contritione.

Deinde cum tam difficulter contriti ex hac morte per uocem Euangelij ad uitam reuocentur,

etiamsi eis multum salubcrrimæ consolationes proponantur, cauendum est eo tempore uel præcipue, ne scrupi aliqui ac ueluti laquei cõscientijs injiciantur, qbus miseri homines impediti ac detenti, cũ ex illo mœrore ac desperatiõe euadere nequeãt, submergantur, ut Pau. 2. Cor. 2. admodũ salubriter monet.

Tres laquei in papistica pœnitentia.

Experientia ipsa docuit nos in papatu, cum alijs infinitis falsæ doctrinæ laqueis multorum conscientias captas fuisse, ac etiam ad inferos in æternam damnationem pertractas, tum uero in primis sufficienti contritione, sufficienti enumeratione cum omnium peccatorum, tum circumstantiarum & sufficienti satisfactione. De quibus rebus fuerunt in papatu infiniti labyrinthi, inextricabiles tricæ, ac miserarum conscientiarum mere cruces. Cum enim nemo posset statuere se sufficientem contritionem habere, plurimi de sua peccatorum recitatione dubitarent, plerique etiam de satisfactione, an sit satis sufficiens, ambigerent, non ausi fuerunt miseri homines beneficium Christi sibi fide uendicare, Deum patrem appellare, aut ab eo aliquid cum fiducia postulare, & pessima conscientia ad communionem accesserunt. Gratia autem Domino Deo patri Domini nostri Iesu Christi, qui nos his postremis temporibus

rum ab illis infernalibus labyrinthis liberauit.

TERTIO debet legalem illam cognitionē contritionemq; cognitio Euangelij sequi, ueluti oleum quoddam à Samaritano in uulnus infusum, molliens ac sanans ea, quæ prius uini legē significantis asperitas arroserat, ac purgarat. Quo ordine omnes boni doctores ex Christi mandato docēt, ut uidelicet primū pœnitentiæ prædicatione peccatoris animū frangant, ueteremq; hominem interficiant. Deinde fractos iacentesq; peccatores Euangelicis promissionibus iterum sublcuent, ac ad sperandum in Deum excitent, & ita nouum hominem generent.

Tertius motus quo modo in contritis excitandus.

Ac cum multi ualde difficulter admittant consolatiōes, multi uero eas penitus recipere nō possint, (ut paulo ante dictum est) diligenter eū publice tum priuatim in absolutione et cōsolationibus est proponenda contritis Euangelij promissio de remissione peccatorū, eaq; cum alijs modis amplificanda & corroboranda est, tū in primis, quod sit uniuersalis omnibus cōtritis, gratuita penitus, & quod sit mandatū Dei, ut omnes eā accipiant, q uero eā non accipit, is et mandatum Dei uiolat, et mendacij Deū arguit, & hoc peccato plus peccat, q̄ omnibus alijs. Vult enim omnino deus, ut præter spem in spem credamus,

non ſolum in rebus corporalibus, ut cum meſſium eſt uacuum, quod nobis petentibus panem quotidianum daturus ſit. Sed etiam in petitione remiſſionis peccatorum ac gratiæ Dei, ut quanquam indeamus, & ueriſſime confiteamur nos eſſe miſerrimos peccatores (ſicut omnes penitus homines coram Deo ſunt uere miſeri peccatores,) tamen uult Deus nos ei hanc gloriam dare, quòd maior ſit eius miſericordia q̃ noſtra ſcelera, quòdq; gratia exuberet ſupra peccatũ. Atq; hanc fidē præter ſpem in ſpem credentem teſtatur ſcriptura Deo uere gloriam dare, & peccatores contritos coram Deo iuſtificare.

His igitur modis ac ſimilibus ſunt obtrudendæ promiſſiones contritis. Quanquam & oratione piorum ardenti indigent illi, qui in tali πάθει ſeu agone cum morte ac inferis luctantur.

Fœlix eſt ille, qui poteſt per hunc tertium motum ad quartum euadere, id eſt, per conſolationes Euangelij ad ueram orationem peruenire. Quam primum enim recte orare poſſumus, ſtatim etiam de peccatis noſtris, inferno & diabolo triumphamus.

QVARTO ed Euangelij Cognitio, ſi uera ac uiua

mus est, siq; Spiritui sancto per eam efficaci assentimur, generat in nobis magnam quandam agniti boni, nobisq; summè necessarij (uempe remißionis peccatorum ac misericordiæ Dei) appetitionem, in qua appetitione etiam oratio recte includitur. Est enim oratio eadem illa appetitio in actum quendam deducta Deoq; proposita. Quarum motus fidei.

Nec potest sine hoc motu, id est, sine desiderio ac petitione agniti per Euangelium boni, fieri uel firmus assensus, uel fiducia, seu quietatio cordis, ac forte etiam fieri non debet, ne sit uana quædam persuasio & securitas. Nam Deus uult quidem omnibus dare sua bona, sed petentibus & pulsantibus. Docet quoq; id experientia, quod hic motus antecedat assensum. Nam quamprimum contriti incipiunt aliquanto propius agnoscere uocem promissionis, statim etiam precari incipiunt. Quarum motum esse necessarium.

Ac sunt petitiones remißionis peccatorum & fauoris diuini, ut etiam ex Psalmis apparet, à principio plenæ morte, querelis, trepidatione ac mœrore. Deinde paulatim lætiores fiunt, pluscq; fiduciæ adesse ostendunt, donec tandem in plenam fi-

ducíam ac lætitiam cõcludantur, quin & in gratiarum actionem aliquando desinunt. Et plane primo, ueluti de profundis malorũ abyssis, contritæ cõscientiæ clamare incipiunt. Postea paulatim emergunt crescente per istos motus fiducia, donec tandem penitus in lucem cœlestem emergant, nõ aliter, q̃ cum in extremo mortis agone constituti paulatim ad uitam reuerti uidentur natura morbũ exuperare incipiente, atq; hoc est illud uerum ab inferis reduci.

Quintus motus fidei.

QVINTO, Cum inter orandum promissionem Dei cogitamus (sicut omnem uere orantem facere plane necesse est) ac quasi audimus Deum nobis respondentem, quicquid petis in nomine mediatoris, contingit tibi. Et, quanto magis ego, qui bonus sum dabo bona petentibus. Oportet orantẽ illis uocibus, ueluti si iam sibi per eas cœlitus responderi audiret, assentiri iuxta præceptũ Christi Mar. 11. Quæcunq; orantes petitis, credite, q̃ accipitis, & erunt uobis.

Atq; ob hos duos motus potissimum, nempe quartum & quintũ, Christus, cũ docet orare, simul quoq; multa de patris cœlestis benignitate differt, ut scilicet & inuitet nos ad expetenda illa bona petendaq;, & ut in petitionibus, illarum promissionum cogitatione, facilius statuere possimus nos exauditos esse,

esse, quod uel in primis in oratione est necessarium, nempe ut sub conclusionem orationis certo statuamus nos per Christum nostrum pontificem ad dexteram patris stantem exauditos esse.

De hac quasi uita orationis iam longo tempore doctrina intermissa fuerat in Ecclesia, ac ualde uereor, ne iam quoq; ex quo hæc doctrina Dei beneficio denuo resuscitata est, illa nimia breuitas temporis, ad quam multi precationem adstringunt, in multorum oratione istum assensum aut excludat, aut parum recte absoluat, nec enim tam facile tamq; cito fieri potest, quàm cito ipsa uerba orationis recitari. Vt forte et in templis publicæ orationi plusculũ temporis tribuendum sit, quàm alioqui usitate in plerisq; locis tribuitur, et diligentius auditores eruditi, de isto assensu per illum nostrum pontificem ad dexteram Dei sedentem, & pro nobis intercedentem, fit utile. Vita orationis.

Non est quidẽ probanda illa Battologia et prolixitas orationis Ethnicæ (ut eam Christus appellat) nec tamẽ rursus in illa tanta breuitate temporis assensum hũc semper recte fieri posse pij in seipsis sæpe experiuntur. Accedere Deum res longe maxima est, nec eum ita obiter ueluti seruulum quendam cõpellare debemus.

Ac

Ac quanquam uerum est, sæpe homines pios etiam aliud agentes uno gemitu, coq; inenarrabili recte Deum appellare. Tamen cum ex professo oratio instituitur, in qua & mandatum Dei & promissio considerandæ est, & à quo, & per quem, & quid petamus, ad hæc multa impedimenta à diabolo oranti obijciuntur, postremo & assensus propter incredulitatem carnis nostræ est perdifficilis, & Spiritus quoq; non semper perinde est alacris, proculdubio non semper omnes hæ difficultates in uno momento exuperari possunt.

Res longe maxima est oratio ac perinde Christiano homini necessaria, ut os infanti ex uberibus matris suæ alimentum ac uitam sugenti. Simili namquc modo pij ex promissionibus Dei cum omnia alia bona sugunt, tum uel in primis ipsam uitam, ad quam regenerati sumus, & quam per fidem filij Dei uiuimus, ut Paulus Gala. 2. loquitur, quod & Dominus significauit, cum inquit. Ego sum uitis, uos palmites. Qua suctione intermissa plane emoriuntur, nõ aliter quàm si palmites uitis suæ alimento destituantur. Proinde orationem cum priuatam, tum præsertim illam publicam par esset ardentem esse, ac minime mutilam uel præcipitatam.

Ob hunc

Ob hunc quintum motum seu assensum & hoc AMEN ex Spiritus sancti instituto & in ueteri & in nouo testamento in fine precationis additur. Quæ uox ex eodem themate uenit ex quo & הֶאֱמִין credere, ac significat teste Rabi Dauid Kimhi, uerum, ratum erit hoc, & sic Dominus faciet. Admonemur itaq; hac uoce, nos in fine orationis certo debere statuere, quòd Deus preces nostras propter mediatorem exaudierit, & quòd ea, quæ petierimus, facturus sit.

Nihil profecto magis contrarium uerè orationi est, quàm illa Ethnicorum & hypocritarum uacillatio ac dubitatio, nescio an Deus mihi sit propitius an non, nescio an preces meas exaudierit an non. Talis homo (teste scriptura) nihil à Deo accipiet. Et nihilominus aduersarij talem dubitationem etiam editis scriptis confirmare non uerentur, nec tamen propterea sunt hæretici, sed penitus catholici & orthodoxi.

Sextus fidei motus.

SEXTO, ex eo assensu, quo certo statuit contritus peccator suam orationem, qua remissionem peccatorum propter Christum & misericordiam Dei flagitauit, exauditam & Deo acceptam esse, sequitur quædam firma fiducia in placatum fauentem

temq; Deum, cor est letum ac tranquillum, et spiritus ipse clamat, ABBA pater, totusq; homo se rejicit in Deum. Atq; ita fide iustificati pacem habemus & gaudium Spiritus sancti, ubi simul & regeneratio fit, quæ tamen iam antea in quarto motu, id est, in expetitione agniti boni fieri inceperat, ac omnes actiones regenerati hominis omniaq; bona opera consequuntur.

Sextus motus corroborat & fulcit cor.

Porro hac demum firma fiducia letoq; Spiritus sancti testimonio, corda piorum ita exhilarantur, firmantur ac corroborantur, ut etiam in summis discrimimibus, atq; adeo supplicijs constantes ac celso animo permaneant, nulloq; modo dubitent, quin Deus sibi & propicius sit, & si eius gloria ac ipsorum utilitas postulat, etiam opem sit laturus, ut Danielis ac eius sociorum exempla demonstrant Dani. 3.

Cordis fide firmati & corroborati descriptio.

Hanc cordis firmitatem perpulchre Spiritus sanctus Psal. 112. his uerbis expressit. Paratum est (uel potius firmiter corroboratum est) cor eius sperare in Dominum, quare à tristi fama non expauescet, fultum est cor eius (nempe fiducia fauoris ac opis diuinæ) non timebit donec uideat optatũ euentum de hostibus suis. Talem infractum animum Spiritus

rum sanctus Psal. 46 describit, cum in toto psalmo tum præcipue in his uerbis. Dominus est nostra fiducia & fortitudo, auxilium in tribulationibus oportunum ualde, propterea nō timebimus etiamsi terra loco moueatur, & montes in mare præcipitentur. Et sæpe aliàs, cum in psalmis orantes lætis uocibus suum constantem fiduciam in Deum significant.

Loquitur & S. Paulus sic de infracto fidei robore Roma. 4. cum inquit, Sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo certa persuasione concepta, quòd is, qui promiserit &c. Vtitur enim admodum significantibus uerbis ἐνεδυναμώθη & πληροφορηθείς.

Sed hoc posterius etiam aliàs sæpe in descriptionibus fidei usurpatur. Quare non opinor me operam lusurum, si hanc ipsam uocē paulo diligentius explicuero, quandoquidem Paulus ea tam sæpe utitur, & ingenium ac natura fidei per eam pulcbre expressa esse uidetur. πληροφορέω quid significet.

Significat hæc uox Paulo, aliquid pleno animi motu agere, ut cum refertur ad plenam noticiam Ro. 14, Vnusquisq; in proprio sensu πληροφορείσθω certa noticia constituat, pleno animi assensu statuat.

Item

Item ad actiones aliquas externas, ut 2. Timo 4. ministerium tuum πληροφόρησον, id est, constanter & ardenter perfice, ibidem ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, id est, Vt mea opera prædicatio Euangelij diligenter ac serio promoueatur. Item ad fiduciam ac spem, ut Heb. 6. Cupimus aũt unumquenq; uestrum idem præstare studium πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος, ad constantem & firmam spem usq; ad finem.

Ex his exemplis apparet πληροφορεῖν significare pleno animi assensu ac motu aliquid agere. Potissimum tamen dicitur de certitudine noticiæ practicæ, ac ei coniunctæ fiduciæ aut spei, ut Roma. 4. πληροφορηθείς, quod id, quod Deus pollicitus erat, etiam præstare possit, id est, firma & constanti fide statuens, quòd Deus & possit & uelit ea facere, quæ erat pollicitus.

Est autem dictio hæc plane græca, nam & Isocrates ea utitur in τραπεζιτικῷ· ἐμὲ δὲ πολλῶν ἀκουόντων ἔξαρνον πληροφορηθεὶς γεγενῆσθαι μηδὲν κεκτῆσθαι. ubi itidem magnam noticiæ certitudinem significat.

Porro quoniam sæpe utiliter Etymologiæ ac primariæ significationes inquiruntur, eo quòd aliquanto

quanto penitius uis ac natura uocū ea ratione perspicitur, breuiter de huius quoq; uocis origine dicemus. Opinor hanc uocem hic μεταφορικῶς poni. Nam nec proprie, nec in aliqua alia figura, quantum quidem animaducrtere possum, hic accipi potest. Sumptam autem opinor metaphoram à nauibus, cum plenis seu inflatis uelis incitatæ feruntur. Ex qua ratione similitudinis & prouerbium plenis uelis nauigare ortum est, ac de eis dicitur, qui toti, & ueluti proni in aliquid incumbunt.

Ad hanc similitudinem uidetur & Cicero alluisse in oratione pro Murena inquiens. Cum contento cursu acerrimis ducibus, hostium classis spe atq; animis inflata Italiam peteret. Est enim quædam conuenientia nauium plenis uelis nauigantium, & animorum plena persuasione ac spe aliquid concipientium, sicut in hoc ipso exemplo apparet. Nam perinde ac naues istæ plenis uel inflatis uelis rectà & celerrimo cursu in Italiam contendebant, ita etiam hostes opes Italiæ iam firma spe diripiebant & partiebantur.

Eadem porro ratio est & fidei. Nam & illa uerbo Dei ac Spiritu sancto, nostro spiritui testimo-

Collatio fidei cum nauibus, plenis ueelis nauigantibus.

nium perhibente, quòd filij Dei ſumus, confirmata ſic plena fiducia ac ſpe miſericordiam Dei, remiſſionem peccatorum ac alia dona ſibi rapit, ac uendicat. Et quemadmodum eiuſmodi naues celerrime currentes nuſquam hærent, non circumſpectant ſcopulos, ſyrtes, & ſaxa latentia, ſed rectiſſimo curſu antrorſus tendũt. Sciunt enim ſe in alto nauigare. Sic & fides nuſquam hæſitat, non claudicat, non diiudicat, dubia num hoc an illud ſequendum ſit, non ubiq; trepidat, ſed immota ueritate uerbi diuini, promiſſionibus Dei, ac Spiritu ſancto ABBA patet clamante inflata & incitata, rectà contentiſſimoq; curſu in Deum placatum ac promiſſa bona fertur.

Atq; hic omittere nequeo, quin commodum, ut opinor, locum nactus, quod multoties cogitaui, referam. Sæpe cum piæ memoriæ D. Martinum Lutherum plena in Deum fiducia, lætaq; & erecta fronte in templum uadentem intuitus ſum, eiusq; actiones plane ipſo Elia dignas perpendi, uiſus mihi ſum Venetam illam longe maximam nauim (quam illi Galconem uocant) omnibus uelis uento inflatis contra hoſtes pergentem cernere. Quæ cum magnitudine, pulchritudine et celeritate ſit inſignis, illud

illud tamen habet præcipuum decus, quòd totics à Turcis aliisq; impijs summa ui oppugnata ad extremum contra omnes uictrix permansit. Sed hactenus de hac dictione, iam ad propositam materiam reuertamur.

Huiusmodi fiducia cor fultum & corroboratum cum Dauid haberet, ausus est admodum iuuenis & propemodum inermis contra Goliath tantum Gigantem ad singulare certamen procedere, cuius ne conspectum quidem multi fortes uiri, non tamen simili fiducia in Deum præditi, sustinere poterant. Hoc est etiam illud firmiter consistere הֶחֱזִיקוּ, ad quod Moses Israelitas ad mare rubrum hortatur Exod. 14. Et quidam propheta Iudeos 2. Paral. cap. 20. his uerbis, firmiter consistite, state, & uidebitis auxilium Domini uobiscum, Iuda & Hierusalem ne timeatis, & ne trepidetis. Iterum de magnanimitate fidei.

Significatur & per uerbum אָשַׁן admodum significanter hæc firma fiducia, de quo posteà aliquid dicemus. Huc potissimum referri potest & definitio fidei Esai. 26. quod fides sit cogitatio firma, & Pauli ad Hebræ. 11. quas superius explicuimus, eáq; quæ in posterioris explicatione adiunximus. Nam hic motus est uere colophon fidei.

Exprimitur quoq; non parum significanter in sacris literis hic animi piorum affectus per uerba רמח שקט quiescere et acquiescere, quòd hæc sola fiducia cum Dei fauorem nacta est, hoc tanto thesauro, ueluti si ad eximiam quandam αὐταρκείαν, id est, sufficientiam peruenisset, cor ac animum contriti pacat, quietat ac lætificat, ut non amplius trepidet, non aliunde opem ac consolationem quærat, sed hic apud hunc suum thesaurum summa cum lætitia quiescat, hinc omnem suam fœlicitatem expectet. Sicut Psal. 62. (ubi multum de hac fiducia huic thesauro incubante loquitur) bis inquit, in Domino acquiescit anima mea, nam ab ipso salus mea. Et Psal. 131. dicit se perinde direxisse animam suam ad Deum, & eam fiducia fauoris diuini pacatam tranquillamq; reddidisse, ac infans totam spem in matrem suam collocat, totusq; inde pendet. Et Esa. 32. clare pronunciat hunc esse effectum impetratæ iustificationis & fauoris diuini. Inquit enim, Et erit fructus iusticiæ (scilicet gratuitæ, Nam de Christi beneficijs ibi loquitur) pax, & utilitas iusticiæ השקט quiescere, uel tranquillum esse, & confidere in perpetuum. Et cap. 7. iubet Deus dici ad Achaz, caue, & sis tranquillus, ac ne timeas, & cor

tuum

tuum ne mollescat. Et cap. 39. inquit. Sic dicit Dominus, Sanctus Israelis, per resipiscentiam ונחת & quietem seruabimini. Behasket per quiescere & fiduciam erit fortitudo uestra, seu continget uobis, & noluistis. Nam Iudæi nihil minus præstare uolebant, quàm ut fiducia promissionum diuinarum ac opis diuinæ freti, tranquillo animo essent. Sed trepidabant, ac undiq; quærebant auxilia, omnia suspecta habebant, ubiq; existimabant contra se fieri coniurationes, quod in eis Esaias cap. 4. reprehendit.

Hoc mentis ac cordis acquiescere ob acquisitum Dei fauorem, perpulchre uidetur Christus per illas similitudines exprimere, quas Matth. 13. recitat, quod quemadmodum si quispiam inueniat in alicuius agro thesaurum, uel preciosissimam margaritam, statim tanta rei bonitate illectus, diuenditis omnibus suis, emit illum agrum cum thesauro uel margarita. Sic quoq; qui per Euangelij doctrinam remissionem peccatorum ac fauorem Dei consequitur, illo unico thesauro ueluti quadam uera αὐταρκεία, id est, sufficientia contentus acquiescit, aliaq; omnia præ hoc nihili facit, ac negligit, Iuxta illud, ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Atq; ita pij

Collatio fidei cum nauibus, plenis uelis nauigantibus.

nium perhibente, quòd filij Dei ſumus, confirmata ſic plena fiducia ac ſpe miſericordiam Dei, remiſſionem peccatorum ac alia dona ſibi rapit, ac uendicat. Et quemadmodum eiuſmodi naues celerrime currentes nuſquam hærent, non circumſpectant ſcopulos, ſyrtes, & ſaxa latentia, ſed rectiſſimo curſu antrorſus tendũt. Sciunt enim ſe in alto nauigare. Sic & fides nuſquam hæſitat, non claudicat, non diiudicat, dubia num hoc an illud ſequendum ſit, non ubiq; trepidat, ſed immota ueritate uerbi diuini, promiſſionibus Dei, ac Spiritu ſancto ABBA patrem clamante inflata & incitata, rectà contentiſſimoq; curſu in Deum placatum ac promiſſa bona fertur.

Atq; hic omittere nequeo, quin commodum, ut opinor, locum nactus, quod multoties cogitaui, referam. Sæpe cum piæ memoriæ D. Martinum Lutherum plena in Deum fiducia, lætáq; & erecta fronte in templum uadentem intuitus ſum, eiuſq; actiones plane ipſo Elia dignas perpendi, uiſus mihi ſum Venetam illam longe maximam nauim (quam illi Galconem uocant) omnibus uelis uento inflatis contra hoſtes pergentem cernere. Quæ cum magnitudine, pulchritudine et celeritate ſit inſignis, illud

illud tamen habet præcipuum decus, quòd totics à Turcis aliisq; impijs summa ui oppugnata ad extremum contra omnes uictrix permansit. Sed hactenus de hac dictione, iam ad propositam materiam reuertamur.

Huiusmodi fiducia cor fultum & corroboratum cum Dauid haberet, ausus est admodum iuuenis & propemodum inermis contra Goliath tantum Gigantem ad singulare certamen procedere, cuius ne conspectum quidem multi fortes uiri, non tamen simili fiducia in Deum præditi, sustinere poterant. Hoc est etiam illud firmiter consistere התיצב, ad quod Moses Israelitas ad mare rubrum hortatur Exod. 14. Et quidam propheta Iudeos 2. Paral. cap. 20. his uerbis, firmiter consistite, state, & uidebitis auxilium Domini uobiscum, Iuda & Hierusalem ne timeatis, & ne trepidetis. Iterum de magnanimitate fidei.

Significatur & per uerbum האמין admodum significanter hæc firma fiducia, de quo postea aliquid dicemus. Huc potissimum referri potest & definitio fidei Esai. 26. quod fides sit cogitatio firma, & Pauli ad Hebræ. 11. quas superius explicuimus, eáq; quæ in posterioris explicatione adiunximus. Nam hic motus est uere colophon fidei.

Exprimitur quoq; non parum significanter in sacris literis hic animi piorum affectus per uerba רמח שקט quiescere et acquiescere, quòd hæc sola fiducia cum Dei fauorem nacta est, hoc tanto thesauro, ueluti si ad eximiam quandam αὐταρκείαν, id est, sufficientiam peruenisset, cor ac animum contriti pacat, quietat ac lætificat, ut non amplius trepidet, non aliunde opem ac consolationem quærat, sed hic apud hunc suum thesaurum summa cum lætitia quiescat, hinc omnem suam fœlicitatem expectet. Sicut Psal. 62. (ubi multum de hac fiducia huic thesauro incubante loquitur) bis inquit, in Domino acquiescit anima mea, nam ab ipso salus mea. Et Psal. 131. dicit se perinde direxisse animam suam ad Deum, & eam fiducia fauoris diuini pacatam tranquillamq; reddidisse, ac infans totam spem in matrem suam collocat, totusq; inde pendet. Et Esai. 32. clare pronunciat hunc esse effectum impetratæ iustificationis & fauoris diuini. Inquit enim, Et erit fructus iusticiæ (scilicet gratuitæ, Nam de Christi beneficijs ibi loquitur) pax, & utilitas iusticiæ השקט quiescere, uel tranquillum esse, & confidere in perpetuum. Et cap. 7. iubet Deus dici ad Achas, caue, & sis tranquillus, ac ne timeas, & cor

tuum

tuum ne molleſcat. Et cap. 39. inquit. Sic dicit Dominus, Sanctus Iſraelis, per reſipiſcentiam רגעה & quietem ſeruabimini. Behasket per quieſcere & fiduciam erit fortitudo uestra, ſeu continget uobis, & noluistis. Nam Iudæi nihil minus præstare uolebant, quàm ut fiducia promißionum diuinarum ac opis diuinæ freti, tranquillo animo eſſent. Sed trepidabant, ac undiq; quærebant auxilia, omnia ſuſpecta habebant, ubiq; exiſtimabant contra ſe fieri coniurationes, quod in eis Eſaias cap. 4. reprehendit.

Hoc mentis ac cordis acquieſcere ob acquiſitum Dei fauorem, perpulchre uidetur Chriſtus per illas ſimilitudines exprimere, quas Matth. 13. recitat, quod quemadmodum ſi quiſpiam inueniat in alicuius agro theſaurum, uel precioſißimam margaritam, ſtatim tanta rei bonitate illectus, diuenditis omnibus ſuis, emit illum agrum cum theſauro uel margarita. Sic quoq; qui per Euangelij doctrinam remißionem peccatorum ac fauorem Dei conſequitur, illo unico theſauro ueluti quadam uera αὐταρκεία, id eſt, ſufficientia contentus acquieſcit, aliaq; omnia præ hoc nihili facit, ac negligit, iuxta illud, ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Atq; ita pij

ex hoc inuento thesauro habent plenum gaudium.

Conspicitur quoq; hoc acquiescere sæpe in hominibus, cũ post contritionem promißionibus Euangelij ac Spiritu sancto ita pacantur, ut sint animo tranquillißimo, quæ animi tranquillitas etiam in externis gestibus & actionibus perspici potest, idq; cum in alijs, tum uero præcipue in morituris ac supplicio afficiendis sæpe clare animaduertitur.

Diffidentiæ descriptio.

Contra, expertes ueræ fidei, cum careant hac firma fiducia in Deum, hocq; Spiritus sancti testimonio, ardore & robore, in aduersis ac grauibus periculis trepidant, ac tremunt instar arundinis, ut Christus inquit, & instar syluæ uento concussæ, ut Esai. 7. legitur, ac (sicut Iacobus inquit) instar undæ maris facile huc atq; illuc impelluntur. Quanquam & Paulus ad Ephe. 4. pene eodem modo loquitur de hac fidei constantia carentibus. Item Christus Lucæ. 12, cum inquit, μὴ μετεωρίζεσθε, nolite pendere animis ac diffidere. Qua metaphora perpulchre sane humana diffidentia pingitur. Quemadmodum enim, quæ in sublimi sunt, ut in aëre nubes, quia non sunt alicui firmo fundamento alligata, leui momento, ut parua aliqua aura huc atq; illuc impelluntur. Sic diffidentes, cum hac rupe fiduciæ auxilij diuini

μετεωρίζεσθε,

nimi, de Spiritus sancti consolatione destituantur, leui aliqua occasione uacillant, & anxij, quo se uertant, nesciunt, citissimeq; desperare incipiunt, ut Iosuæ cap. 7. dissolutum est cor populi & mutatum est in aquam, idq; ob paruam admodũ occasionem, sicut & Num. 13. legitur, & sæpe aliàs.

Monebimus hic simul & illud, quod uerbo μετεωρίζεσθαι non ita dissimile sit uerbum περέθομαι poëticum & significatione & metaphoræ ratione. Nam perinde significat leuem & inconstantẽ esse, & metaphora est sumpta ab ijs, quæ in sublime eleuata sunt, nec satis firmiter consistunt, sed uacillant. Possuntq; hæc duo uerba mutua collatione eleganter & utiliter illustrari.

Citauimus hucusq; loca scripturæ in quibus expresse diffidentia pingitur, & quasi ob oculos spectanda proponitur, quo etiã ex contrario sextus fidei motus, nempe fiducia in Deũ paulo clarius cognosci queat, quæ et confirmat, seu corroborat corda piorũ, & tranquilla efficit, aliasq; omnes uirtutes in pio generat, ut superius dictum est. Dixi aũt aliquanto plura de hoc sexto motu ideo, q, is colophonem fidei imponat, & q, is præcipue motus omnes præclaras actiones & etiam uirtutes piorum efficiat.

De fide alia bona præter iustificationem accipiente.

EXPECTAT procul dubio iam lector aliquam probatiõem nostræ partitionis, sed nos prius adiungemus his pauca quædam de exercitijs fidei, seu de fide alia bona præter remissionem peccatorum ac reconciliationem postulante, mox confirmationem huius diuisionis subiecturi.

Fides petens iustificationẽ prælucet fidei alia bona petenti.

Diximus igitur hactenus de ea fide, eáq; mendica manu, quæ remissionem peccatorum gratuitam, ac fauorem Dei propter Christum flagitat, ac impetrat, Deoq; placato fidit. Est uero plane necesse, ut hæc lux nempe tota fides remissionem peccatorum ac gratuitam iusticiam accipiens, & præsertim fiducia paternum Dei fauorem intuens omnibus alijs actionibus, aliarumq; rerum petitionibus præluceat. Nam quomodo ab eo aliquid peteres, quem tibi hostem esse putas? Proinde semper oportet primo regnum cœlorum quærere, deinde panem quotidianum.

Quare post eam fidem, qua accipitur remissio peccatorum, sequuntur uel exercitia illius, uel quædam alia fides, priori non multum dissimilis, qua etiam alia bona petimus à Deo, quáq; nos in omnigenis miserijs fulcimus, quæ tamen necessario tota oritur ex

tur ex priori, ac præsertim ex ultimo motu prioris, id est, ex fiducia in patrem nobis iam placatum, quæ fiducia est cum hac posteriori fide coniunctißima, seu potius in totam hanc fidem est sparsa.

Exemplo sit Dauid, qui primum semper fide per Meßiam Deum sibi placat, eoq; placato Deo fidit, deinde comitante illa constante fiducia in patrem iam placatum, petit ac expectat auxilium ab eo in omnibus suis periculis, certo credit sibi Deum adfuturum, cum rebus sic postulantibus adoritur ursum, leonem, Goliath &c. Sic Abraham cum prius fide seminis sui, in quo omnes gentes benedicendæ erant, Deum sibi placasset, eoq; fidere tanquam patre benignißimo cepisset, audebat cum eo colloqui, quanquam esset puluis & cinis, nec dubitabat, quin & posteritatem secundum sua promissa, & alia omnia bona sibi sit daturus.

Quare Paulus rectißime dicit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam, neq; enim credidit Abraham solummodo, quod sit posteritatem habiturus, sed etiam simul fide statuebat, Deum ea bona pollicentem sibi propiciũ esse. Nam eo ipso

Locũ. Credidit Abraham Deo, recte à S. Paulo citari.

eo ipso, quod aliquis alicui magna bona gratis polliceatur, indicat se ei esse amicissimũ. Præterea præcessit non solum promissio seminis, sed etiam promissio fauoris diuini. Inquit enim ne timeas Abraham, Ego sum scutum tuum, & merces tua copiosa ualde.

Proinde credidit Abraham non unam tantum particulam, sed totum sermonem Dei. Imo si priora non credidisset, nempe quòd Deus sibi propicius esse uelit, posteriora credere non potuisset. Aptissime igitur Paulus hunc locum citauit, ut iustificationem probaret contingere gratis per fidem in Christum. Ac dignissimi sunt & risu & odio aduersarij, qui cum non capiant ea, quæ Spiritus Dei sunt, utpote ucræ fidei & ucræ inuocationis penitus inexperti, calumniantur selectum Christi organũ, & inepte ab eo locos nihil ad rem facientes citatos contendunt.

Partitio posterioris fidei.

Sed ad rem. Sunt huius quoq; fidei motus prioribus motibus non ita multum dissimiles. Primum enim necesse est adesse aliquam cognitionem suarum miseriarum, ut paupertatis, aduersæ ualetudinis, periculorum, suæ insipientiæ, & cuiuscunq; demum imbecillitatis.

Deinde agnita malorum magnitudine, oportet uere moueri horum malorum cogitatione, & non

non simpliciter contemnere ea, ut multi impij faciunt, et quemadmodum non solum philosophia præsertim Stoica de bonis & malis corporis & fortunæ docet, sed etiam quidam Theologi nimium Stoici docuerunt, qui pessime sane ex hac parte de Ecclesia meriti sunt. Si enim non serio afficimur cogitatione horum malorum, ne peterc quidem ardenter possumus, ut Deus nos ex eis liberet. Quanquam hos duos motus uix licebit dicere pertinere ad fidem, quandoquidem sunt naturalia quædam etiam cum brutis communia.

Tertio, oportet considerare & illas promissiones Dei, quibus promittit contra illa ipsa mala auxilium, & bona eis contraria.

Quarto, illa cogitatio cum necessitatis, tũ illorum ultro promissorum bonorum, gencrat quoddã eorum desiderium, in quo motu & petitio illorum recte ponctur, sicut & superius diximus.

Quinto, sub finem orationis & in horum bonorum petitione oportet nos concludere, q. simus exauditi, catenus tamen, quatenus illa bona promittuntur, de qua promissionum diuersitate non est iam nostri instituti prolixius disserere. Sed tamẽ ea quoq; cognitio est Christiano homini necessaria, & alibunde peti potest.

Sexto,

Sexto, Ex hoc quoq; assensu generatur quædam propria fiducia. Statuimus enim in eo, Deum nō solum æterna bona nobis communicare uelle, sed etiam præsentis uitæ, ut Anna mater Samuelis, cum statuisset, se exauditam esse in petitione sobolis, postea quandam lætam fiduciam concepit. Dicit enim scriptura, quòd comederit, & non fuerit amplius mœsta, sicut antea.

Collatio posterioris fidei cum prioris.

Itaq; & hæc fides (si licet eam á priori separare) est alteri persimilis, nisi quod obiectis differant. Ac quemadmodum hæc posterior esse penitus non potest, nisi prior adsit, Ita huius seria exercitia plurimum priorem eruditunt, & confirmant. Atq; ob hanc quoq; causam uult Deus cum omnes homines, præ cæteris animalibus, tam multis ad hanc uitam indigere, tamque uarijs incommodis urgeri, tum uero in primis pios, quo ad flagitationem auxilij diuini compellantur, suamque fidem in horum quoq; bonorum petitione exerceant. Nec sane admodum repugno, si quis dicere malit hanc posteriorem fidem tantum exercitia quædam esse illius prioris, quæ remissionem peccatorum accipit, ac Deum per Christum placat.

Hactenus de ista posteriori fide ueluti obiter

docuimus,

Collatio acceptionis fidei in hoc scripto cum usitata.

locuimur, iam ad priorem reuertamur. Monèo autem hic fidem nobis aliquanto latius patere, quàm usitate in Ecclesijs accipitur. Significat enim nobis integram conuersionem, seu id totum, quod iam appellant pœnitentiam, exceptis fructibus seu (ut quidam loquuntur) noua obedientia. Et sic in sacris literis sæpe accipitur, ut Mar. 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Ioan. 4. Credidit ipse & tota eius domus, id est, conuersus est. Acto. 14. Ita ut crederet Iudæorum & Græcorum magna multitudo, id est, conuerteretur. 1. Cor. 3. nisi tantum ministri, per quos credidistis, id est, conuersi estis. Et alibi.

Si quis tamen uolet conferre hanc fidei significationem cum ea, quæ iam pijs doctoribus in usu est, sciat unicum motum nempe contritionem in hac nostra fidei significatione insuper contineri.

Libuit aũt mihi ita late fidei uocabulũ extendere non studio nouitatis, quod Deus nouit, sed primum quia uidebam & motum, qui contritionem præcedit, nempe legalem cognitionem, & alios subsequentes, necessario fidei uocabulo notari, & non putabam ex isto toto corpore, quem isti sex motus constituunt, ullum membrum excindendum esse,

esse, præsertim cum in eo ita coycimne alternatim causæ & effectus, motus intellectus & uoluntatis se mutuo consequantur. Deinde quia animaduertebam etiam sacras literas sic hoc uocabulo usas esse. Ne tamen quis existimet nos hac generalitate uocis obscurare doctrinam de iustificatione postea ostendam, quid sit proprijssime fides iustificans.

Confirmatio diuisionis fidei.

SED AGE iam, quod antea sumus polliciti, demonstremus sex hosce motus se mutuo hoc ordine consequi. Potest autem id ex psalmis opem ac misericordiam Dei implorantibus clarissime conspici, in quorum principio licet animaduertere, præcessisse iam tres primos motus, nempe primum cognitionem legis & contritionem. Sunt enim adhuc initio pleni mœrore ac terrore, ut dictum est, tunc ueremur, & querimur nos à Deo desertos esse, Deum procul à nobis stare, nolle aspicere miserias nostras, & tunc anima nostra conturbata est ualde, tunc timemus, ne nos Deus in ira ac furore suo arguat, tunc sagittas & manus graues Domini sentimus.

Deinde necesse est quoq; præcessisse aliquam cognitionem promissionum misericordiæ ac opis diuinæ quandoquidē adest desiderium eius. Nam ignoti nulla cupido.

Post

Post igitur hos tres motus, qui orationem præcedunt, sequitur desiderium, & flagitatio misericordiæ ac opis diuinæ, qui motus præcipue in exordio orationis ardet, ac principatum tenet. Etsi enim (ut iam diximus) ibi magna adhuc uestigia præcedentis motus nempe mortis ac contritionis conspiciuntur, tamen hic motus nempe diuinæ misericordiæ implo-ratio ibi potissimum ardet, & suum proprium locum obtinet, ibi potissimum clamamus miserere mei Deus, miserere. Et, Miserere mei Deus secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum. Et, eloquia mea audi Domine, intellige meditationem meam, Attende ad uocem clamoris mei, ac similes ardentes flagitationes effundimus.

Est tamen uerum, quod aliquando orationes etiam altius incipiant, nempe inde à primo motu, id est, cognitione Dei legali. Continent & secundum motum, id est, contritionem, cum orantes confitentur sua peccata, ut oratio Danielis, quæ est cap. 9. incipit à cognitione legali. Domine Deus magne & terribilis. Deinde sequitur secundus motus, id est, contritio, Inquit enim, tibi iustitia, nobis autem confusio facici &c. cui multum immoratur ac con-

fitetur

fitetur sua & populi peccata. In hac secunda parte, id est, in confessione misce & tertium motum, id est, cognitionem Euangelij, his uerbis. Domino Deo nostro misericordia et remissio peccatorum, & aliquanto post, propter Dominũ, id est, propter Christum. His addit & quartum motum, id est, expectationem & flagitationem agnitæ misericordiæ, ut cum inquit, auertatur quæso ira tua. Item audi Domine preces serui tui, & ad orationem tuorum illumina uultum tuum super sanctuarium tuum. Item, Inclina aurem tuam. Item, Audi Domine, remitte Domine &c. Ac interea, dum hæc Daniel orat, interuenit angelus, qui ei quintum & sextum motum adiungit, id est, exauditam esse eius orationem annunciat, & multa læta de Messiæ aduentu prædicit.

Porro ab hoc quarto motu paulatim oratio ad quintum, id est, ad assensum progreditur, paulatim incipimus plus fiduciæ concipere, & statuere, quod nostra petitio sit exaudita. Quare sub finem orationis incipimus clamare, Dominus exaudiuit orationem meam, Dominus precationem meam accepit, Et, desiderium afflictorum exaudiuisti Domine, tu certificabis cor eorum, quod audit auris tua.

Ex eo

Ex eo assensu concipitur firma fiducia in Deum, quam hic motum sextum nominamus. Quare tunc demum leti Deoq; fidentes clamamus, non timebo à multis myriadibus. Et, Domini est salus, super populum tuum benedictio tua. Et, In pace simul quiescam & dormiam, quoniam tu Domine solus in fiducia me habitare facis.

Quanquam autem omnino ita se hi motus consequuntur, non tamen semper exactè ac præcisè à se mutuo seiungi possunt. Nam præsertim ubi est maior luctæ in oratione, ibi multa ex præcedentibus motibus in sequentibus repetuntur. In expetitione & flagitatione auxilij multum adhuc mœroris & contritionis conspicitur, in faciendo assensu, seu cum iam constituere conamur nos exauditos esse, subinde expetitio seu misericordiæ Dei imploratio iteratur, & in fiducia subinde cogitatione promissionum assensum repetimus.

Misceri aliqñ motus, & nõ penitus distingui.

In motibus fidei tres esse causas & tres effectus alternatim se mutuo subsequẽtes.

Ac est obseruationẽ dignissimum, in his sex motibus semper alternatim se mutuo subsequi intellectus & uoluntatis motus, & semper motum intellectus esse causam efficientem, motum uero uoluntatis esse eius effectum. Sicut natura comparatum est, ut noticiæ sint causæ motuum cordis et uoluntatis, ius-

tis iuxta sententias, Ignoti nulla cupido, Item, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν.

Primus motus est noticia Dei legalis in intellectu consistens. Secundus ac ex primo proueniens est contritio seu perterrefactio quædam, quæ uoluntatis sunt & cordis. Tertius est cognitio Euangelij qui est iterum motus intellectus. Quartus est desiderium agniti boni ac eius petitio, qui est rursum cordis ac uoluntatis motus ex tertio, id est, ex cognitione boni generatus.

Quintus est certo assentiri & statuere in animo te exauditum esse, quod est intellectus proprium.

Sextus est illa fiducia in Deum ex assensu generata, & illud omnia bona sibi de Dei benignitate plus quàm paterna polliceri, quod cordis ac uoluntatis est.

Sex fidei motus ab experientia in alijs rebus confirmantur.

Potest & in alijs rebus acquirendis animaduerti, quod isti motus hoc ordine naturaliter se inuicem consequantur. Exempli gratia, in ualetudine curanda primum ægrotus debet agnoscere se ægrotare, idq; magnum malum esse, ac summopere fugiendum, quod cum duobus primis fidei motibus conferri possit.

Deinde

Deinde, cum discit alicubi medicum aliquem esse, qui eum possit curare, quærit istum medicum, vt ut sibi misero opem ferat. Quibus actionibus admodum similes sunt noster tertius & quartus motus.

Tertio, si medicus fide dignus homo habetur, & suæ artis gnarus, ac in curando fœlix, sicq; suam omni ægroto opem pollicetur, ægrotus eius promissioni acquiescit, fiduciam suam in eum collocat, & omnino lætus breui se conualituram sperat. Quæ aptissime nostros duos ultimos motus representant.

Sed forte hæc clarius & utilius in ueris ac uiuis exercitijs piorum conspici possent, quàm in hac tenui & ieiuna uerborum explicatione. Poterunt igitur singuli pij hosce motus in scipsis experiri, ac in ipso corde sentire, præsertim ij, qui uehementius ac in breuiori tempore quasi uiolentius mortificantur ac uiuificantur.

Nos tamen iam Dauidis exemplum 2. Sam. 12. scriptum, spectandum proponemus, in quo dare omnes hi motus hoc ordine se consequi conspiciuntur. Nam primum Nathan ei legem ac minas Dei concionatur, cum dicit. Exemplo Dauidis sex isti motus fidei prostantur.

Tu es ille uir, Sic dicit Dominus &c. Deinde Dauid statim minis illis frangitur, conteriturq; ac exclamat, peccaui Domino. Item postea in precatione hanc suam contritionem prolixius exponit, cum inquit, Quoniam iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Item ossa contrita &c.

Tertio, Nathan subito subiungit concionem Euangelij, Sic enim inquit, Etiam Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris. Quarto, Dauid audita concione Euangelij, expetit illud beneficium, & flagitat à Deo, ut sibi contingat. Clamare enim incipit, miserere mei Deus secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas. Quinto, sub finem precationis statuit se exaudiri, ideo dicit, Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Sexto, iam incipit in Deum placatum cõfidere, omniáq; bona sibi de eo tanquam patre benignißimo polliceri. Recipit lætitiam & pacem cordis, mutat uestes, & Batsabæam uxorem suam consolatur.

Quo autem adhuc paulo euidentius ostendamus, quid sit fides, & quàm simplici ratione nostra iustificatio

iustificatio ac salus peragatur, breuiter, quantum poterimus, rem ueluti pictam ob oculos spectandam proponere conabimur.

Pictura quædam fidei & iustificationis.

Deus cum uideret genus humanum per unius lapsum in ingentem molem peccati ac æternum exitium immersum esse, ingenti misericordia, ac ineffabili deliberatione & consilio sanctæ trinitatis inuenit modum, quo miserrimæ creaturæ auxilium ferri posset, & tota re præparata ac confecta, (Nam agnus à condito orbe mactatus est) uenit aliàs in propriâ persona, aliàs per angelos, aliàs per prophetas ac alios doctores ad homines, exposuit, & quotidie exponit eis primum ingentem uim mali, qua obruti iacent. Deinde illis, qui hoc crediderunt, suamq; calamitatem agnoscentes doluerunt, indicauit, & indicat, quod admodum libenter uelit eos ex hoc tanto malo, certa quadam uia liberare.

Apoca. 13.

Hoc audito, homines oportet non solum utcunq; credere, sed etiam serio desiderare, ac flagitare illud auxilium, & clamare, Imo ita, O Domine fer opem pro ingenti misericordia tua, sicut pollicetis, fer opem. Atq; in tali clamore oportet unumquenq; (quandoquidem ipse Deus per uerbum &

sacramenta sic mandat) certo statuere, quòd uerò iste Deus uelit hoc modo nobis auxiliari, imo iam auxilietur. Hæc dum mens ita statuit, concipit iam lætam quandam fiduciam in Deum placatum.

Hoc ipsum igitur est fides, hoc inquam Deo te docenti de ingenti malo à quo sis oppressus certo assentiri. Deinde moueri illo tanti mali aspectu. Tertio eidem docenti te de sua erga te uoluntate, quòd scilicet tibi opem ferre paratus sit, fidem tribuere. Quarto uehementissimè orare, instare, ac flagitare, ut quamprimum tibi opem ferat. Quinto in hac flagitatione certo apud te constituere, quod iste ucrax & benignus Deus, tibi sua promissa præstet, & integrè eius promissioni assentiri. Sexto huic tam benignissimo Deo fidere, & de eo tibi omnia bona polliceri. Hæc igitur est uera & uiua fides.

Quædam de diffidentiæ uarietate inter ponuntur.

Diffidentia uero & impiorum & etiam piorum est multiplex. Impij aut horum nihil penitus credunt, ut Epicurei, aut si quædam utcunq; credunt, tamen non serio credunt, ut Cain ante occisum Abel, & Iudas ante proditum Christum etiamsi utcunq; credebant esse Deum, tamen non uolebant

bant uere agnoscere se esse miseros peccatores, multo minus misericordiam Dei magnificiebant. Post occisum uero fratrem Cain, & Iudas post proditum Christum uere agnoscebant se esse miseros peccatores, sed nolebant credere Deum, qui iustus iudex est, eis serio uelle opitulari, (sicut nec diabolus credit) multo minus sequentes motus addebant.

Porro pij cum in his ipsis sunt sæpe imbecilles ut uix tantum fidei sæpe habeant, quantum est granum sinapis, tum uero & in sequentibus motibus. Non ardenter petunt misericordiam à Deo, non certo assentiuntur promißionibus inter orandum. Postremo non satis fidunt huic benigno patri, nec constanter ab eo omnia bona expectant. Sed in periculis trepidant, & in dilatione auxilij desperant, quod multa Israëlitarum & Apostolorum exempla testantur.

Verum ut ad propositum reuertamur, res plane eodem modo peragitur, ac si uel amicus uel aliquis alius uir bonus uidens te inscium in magno aliquo malo esse accederet te, ac primum te de tua calami- Alia fidei & iustificationis pictura.

rate admoneret, postea etiam auxilium ultro deferret, ibi oporteret te & morbum agnoscere, et promissum medicamen obnixe flagitare. Aut (ut adhuc crassius & clarius dicamus) perinde haec tota res perficitur, ac si quis bonus homo uidens te iam fame pereuntem, motus misericordia accurrat, ac cibum polliceatur. Ibi certe non solum utcunq; assentiri te oporteret eius dictis, sed etiam exclamare, obsecro des quamprimum, nam iam fame pereo, & manibus, si quid offerret, citissime arripere & comedere. Illud igitur dici posset fides, non solum utcunq; assentiri uerbis cibum offerentis, sed etiam urgere, & precibus, & ambabus manibus exporrectis, ut quamprimum alimentum consequi possis, ac eo te semimortuum reficere. Qui uero non hoc modo, sed qualicunq; solummodo noticia promissiones Dei excipiunt, nae illi clare significant, se non admodum esurire iusticiam Dei. Hinc simul & iusticiae ac salutis nostrae simplicissima uia cognosci potest. Nam primum Deus uult nos agnoscere ingentem miseriam nostram, ad eiusq; aspectum exhorrescere, postea gratuitum auxilium flagitare, et accipere.

Sic & Dominus ipse docuit salutem nostram nihil

nihil aliud esse, nisi inuitari ad splendidissimum ac lautissimum conuiuium. Tametsi uerum est, quod & accedentes conuiuium debeant magnifacere hanc inuitationem, ac non contemnere eam præ suis rebus ac negocijs, & postea in conuiuio habere uestem nuptialem, seu conuiuio conuenientem, id est, non oportet insanire conuiuas, maledicere inuitanti & uerberare assidentes. Sed & erga autorem conuiuij grato animo esse, laudare eius bonitatem, & cum alijs conuiuis amanter & suauiter conuiuari. Nec tamen inde sequitur illam eorum modestiam meritam esse conuiuium.

Hæc de gratuita iusticia obiter interserui, quòd cum præcedentibus erant coniuncta, postea suo loco prolixius aliquid de ea dicam, interea tamen & horum lector meminisse poterit. Sed iam ad explicationem fidei reuertamur. Fides est non solum audire se inuitari ad conuiuium, & utcunq; credere esse paratum conuiuium, séq; inuitari, sed & se indignissimum hoc conuiuio agnoscere, & tamen magnifacere hanc inuitationem, lætum ad hoc conuiuium accurrere, orare, ac ardentissime flagitare Dominum conuiuij, ut, quemadmodum per suos precones significauit, ita plane pro sua ineffabili be-

nignitate dignetur se indigniſsimos hac tanta fœlicitate beare.

Quod fides non ſit tantum cognitio.

Sed ita eſt profecto, ij homines, qui affirmant fidem eſſe tantum cognitionem, oſtendunt se ucrorum exercitiorum fidei penitus inexpertos eſſe.

Nam primum omnes conſolationes, quæ multæ & amplæ ſunt in ſcripturis ac Chriſtiano homini maxime neceſſariæ, penitus inanes fiunt, ſi eiuſmodi fide non accipiantur, quæ Deo confidat, ſibi fauorem ipſius, ac omnia bona de eo polliceatur. Nam noſſe eas tantum, ſicut diabolus aut Iudas nouit, nullo modo ſatis eſt.

Prima ratio à paternis Dei promiſſionibus & conſolationibus.

Hoc enim ipſum agit Deus illis pluſquàm paternis ac maternis compellationibus, aliquoties etiam iuramento confirmatis, Matth. 7. quanto magis pater ueſter cœleſtis &c. Eſa 49. Nunquid poterit obliuiſci mater infantis ſui. Pſalm 91. Cum ipſo ſum in tribulatione, Inuocauit &c. Eſai 55. O omnes ſitientes uenite ad aquas, Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis ac onerati eſtis. Ezea. 33. Viuo ego nolo mortem peccatoris. His inquã aliiſq; ſexcentis eiuſmodi dictis hoc ipſum agit Chriſtus, ut nos miſeros peccatores de rebus noſtris penitus deſperantes, grauiſsimoq; peccatorum onere oppreſſos, ac

pre-

pre oculis iam æternam mortem habentes in se cons fidere, ac recipere animum adhortetur, cõpellatq;.

Ideo nobis brachia plus quàm materno affectu obuiam exporrigit, ut nos iam moribundi nos ipsos in eius sinum, præter spem credendo, id est, contra omnia nostra peßima merita in unicum Christi meritum respiciendo, reijciamus, ab eo foueamur, ac noua luce uitaq; donemur.

Sed homines securi ignorantes peccati magnitudinem ac iram Dei, Consolationes cœlestes uilipendunt, ac doctrinam de fide eas accipiente, uel rident, uel etiam execrantur. Verum timentes Deum, ac exercitiorum conscientiæ non inexperti sciunt, quantus sit & consolationum cœlestium & fidei eas accipientis, eisq; se in hac miseriarum ualle fulcientis usus.

Quàm multi pij magnitudine suorum peccatorum ac æternarum pœnarum conterriti cum Iudæ collum laqueo inserrent, aut certè prolata Caini sententia, maior est iniquitas mea quàm Dei misericordia, à conspectu Dei discederent, eiq; perpetuo ualedicerent, nisi ad fidendum Deo consolationibus Euangelicis excitarentur.

Proinde

Proinde ne patiamur hanc doctrinam de fide diuina benignitate fidente, conscientijs longè maxime necessariam, ac iam postremis temporibus postliminio generi humano restitutam, ab hypocritis et diabolo nobis eripi.

Secunda ratio, qđ non potest esse sine uera cognitio practica sine motu uoluntatis.

Deinde quænam quæso potest esse in ullo peccatore uera cognitio iræ Dei contra peccata sine comitante ingenti dolore ac terrore? Aut rursum, quænam potest esse in ullo uere Christiano homine uera ac uiua cognitio gratiæ Dei, tanti boni, tam omnibus necessarij, tamque obuij, ut illud non summe expetat, & ut sibi contingat, à Deo non flagitet? Aut inter petendum, cum Christus iubeat, ut credamus nos exaudiri, item dicat, quod petens accipiet, & pulsanti aperietur, his promißionibus ueluti cœlitus datis responsis non assentiatur? Aut cum assensus sit, statueritq; se exauditum esse, ac habere Deum placatum, non fidat isti omnipotenti patri, non totum se ei dedat, nõ totus inde pendeat? Quicunq; igitur motus consequentes non habet, ille ne noticiam quidem ueram ac uiuam habet. De hominibus loquor, nam diabolus scit promißiones ad se non pertinere. Hæc mihi profecto omnia ita ordine ac naturali quadam causarum effectuumq; coniunctione co-

one coherere uidentur, ut si unum aliquod ex eis subtraheretur, ipsum totum ruiturum existimem.

Perpetuam esse motuum fidei reuolutionem.

Nec semel tantum in uita pij is ordo motuum se mutuo consequitur, sed subinde iterum reuoluitur (iuxta illud, ex fide in fidem) ac pene tota uita piorum in his præcipue exercitijs consumitur. Subinde enim nobis iterum de ira Dei, deq; peccatis nostris cogitandum est, Subinde & promissiones Dei largissimæ animo reuoluendæ, quibus inuitati, ueluti filiolus pomo à patre ostenso, accurrere, obnixeq; flagitare debemus, ut nobis illa promissa contingant. Cumq; mandatum sit Dei, ut orantes exaudiri se propter Christum credant, iam remissione peccatorum ac fauore Dei, ueluti pomo quodam à patre impetrato, læti fruimur, & sic quotidie remissionem peccatorum flagitamus, sic quotidie caro mortificatur magis ac magis, & sic in nouum hominem adolescimus, sicq; iustus iustificatur adhuc.

Ad hunc fidei accrescentis quasi quendam perpetuum circulum & exercitium respexisse Paulum opinor, cum inquit Rom. 1. reuelari in Euangelio iusticiam Dei ex fide in fidem. Neq; enim satis est semel

est semel fide iustificari, sed subinde remissio peccatorum, & reconciliatio flagitanda est, ita tamen, ut per ista exercitia semper fides augeatur & adolescat. Similes locutiones & alibi in scriptura reperiuntur, ut Psalm. 84. De uictoria in uictoriam exibunt, id est, subinde maiores uictorias consequentur, seu potentiores fient. Item, Iere. 9. De malicia in maliciam exiuerunt, id est, subinde deteriores facti sunt. Item, 2. Cor. 3. Transformabimur à gloria in gloriam, id est, ex hac inchoata præsentis uitæ gloria in illam perfectam futuræ.

Nullius motuum fidei exercitiū negligendum esse.

Ac est profecto pijs hominibus serio aduigilandum, ne uel unicum horum sex motuum negligant, sed se diligenter in singulis exerceant. Nam persæpe unicus aliquis horum motuum ualde neglectus paulatim totam fidem labefactat, ac eradicat, ut quam multos perdit neglectio minarum Dei ac omissa contritio, uel (quod idē est) securitas? Quam multos autem meditationis promissionum diuinarum intermissio? Porro intermissio ueræ inuocationis est ipsissimum uenenum Christiano homini. Deniq; cum diffidentia nempe contrario sexti motus perpetuum nobis bellum est, cui nisi fortes fide resista-

reſiſtamus, citiſsime nos auxilio Dei priuatos in exitium conijcit, ut Petrus quamprimum incœpit diffidere, incœpit & ſubmergi. Ac ualet etiam hìc præceptum illud, principijs obſta &c. Nam quanto plus in quocunq; demum horum motuum dæmoni ac carni noſtræ cedimus, tanto fit & curatio mali difficilior.

Pertinet ad hoc perpetuum exercitium horum motuum, ſeu ad hoc iuge holocauſtum, etiam illa continua ac uiua uerbi Dei meditatio, quam Pſal. 1. Spiritus ſanctus nobis commendat. Verbi enim diuini lectione ac meditatione omnes iſti motus in cordibus piorum cientur, ut Pſal. 119. prolixe indicatur. Illud enim eſt illa fœlix pluuia arentes campos (ut eſt Eſai. 55.) pulcherrimis fructibus fœcundans.

Diſcrimẽ duorum primorũ fidei motuum à quatuor poſteriorib.

PORRO, etſi omnes hi prædicti motus in fide neceſſario concurrunt, rectiſsimeq; fidei nomine denotantur, ſicut hactenus declaravimus. Tamen obſeruandum eſt, permultum differre duos priores motus, qui recte legales dici poſſunt, à quatuor poſterioribus, qui Euangelici rectè dicentur. Nam per priores illos duos iuſta ira Dei de cœlo patefit, et miſeros peccatores cõfringit, cõterit, interficit, ac uſq; in tar-

Effectus duorũ prẽ orum fidei motuum.

in tartara protrudit, omnesq; in uniuersum sub peccatū conclusos æternæ damnationis reos esse conuincit. Lex enim iramoperatur teste Paulo Rom. 4.

Effectus quatuor posteriorum fidei motuum.

Per posteriores uero quatuor misericordia Dei fractos, contritos, condemnatos ac interfectos istos peccatores ab inferis reducit, ac uiuificat remittendo peccata, adoptando, regenerando, & dando eis Spiritum sanctum aliaq; bona. Semper itaque cum scriptura dicit nos fide iustificari, ut Ro. 3. resuscitari ut Coloss. 2. uiuere ut Abacuc. 2. Gala. 2. & Rom. 1. habere propiciationem per fidem Ro. 3. stare fide Rom. 11. & 1. Cor. 1. per fidem accipere benedictionem & promissiones Gala. 3. Saluari per fidem Matth. 9. Ephe. 2. per fidem habere accessum ad Deum cum fiducia, & habitare Christum in cordibus nostris per fidem Ephe. 3. Fide purificari corda Acto 15. petere in fide Iacob 1. Marci 11. Semper, inquā, posteriores quatuor fidei motus intelliguntur (qui tamen nisi duo priores præcedant esse non possunt) nempe primo agnitio promissi boni, id est, misericordiæ Dei, deinde expetitio ac flagitatio illius promissi boni, tertio assensio in oratione, quarto fidere iam placato Deo, eiq; se totum dedere, ac ex eo ueluti à maternis uberibus pendere,

dere, atq; hi quatuor posteriores motus sunt proprissime fides iustificans.

Paulus ad Gal. 2. pulchre utriusq; partis fidei seu utrorumq; horum motuum effectus describit, cum inquit. Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo uiuam, Christo concrucifixus sum, uiuo autem non amplius ego, uiuit in me Christus. Quod autem nunc uiuo in carne, uiuo fide filij Dei, qui dilexit me, & seipsum pro me tradidit. Docet primum se cognitione legis interfectum ac crucifixum esse. Deinde se uiuere fiducia passionis Christi. Sic & Christus hosce motus Marci primo distinguit, Poenitentiam agite, & credite Euangelio. Ita credere magis Euangelicis quàm legalibus motibus tribuitur.

Ex istis quatuor motibus posterioribus tres ultimos nempe expetitionem, assensum & fiduciam, iam communiter synceri doctores nomine fiducie complectuntur, quod etiam in ueteri Testamento plerunq; fieri superius docuimus. Tres ultimos fidei motus uni eo fiduciæ nomine iã usitate cõprehendi.

Sæpe quoq; exprimunt hebræi tres posteriores motus admodum eleganti metaphora uerbi יָעַז inniti, quod uerbum mihi uidetur uel in primis dilucide rem inuisibilem ob oculos spectan-

dam proponere. Quemadmodum enim uel imbecillus homo uel alius quispiam in loco lubrico & admodum periculoso baculo innititur ne cadat, ita peccator in conuersione conterritus, contritus, & debilitatus fulcro per Euangelium & sacramenta porrecto (nempe cognitione paternæ Dei erga se uoluntatis) se sustentat, erigit & contra suam imbecillitatem luctatur. Et alioqui alius quilibet pius hoc modo sese isto baculo fulcit, cum in assequenda remissione peccatorum, tum & in alijs omnibus luctis ac summis discriminibus.

Causa quare usitatæ tres motus unico nomine comprehendantur.

Nec multum mihi ab hac metaphora distare uidetur Germanicum, Sich auff Gottes verheissung verlassen / quo multum concionatores utuntur. Nam Sich vertrösten / vertrawen / Et Tröstliche zuuersicht haben / quæ ne ipsa quidem mala sunt, magis in propria quàm figurata significatione accipiuntur.

Nec omnino caret ratione, quod uno nomine utpote fiducia, inniti, Sich verlassen / zuuersicht haben / uel similibus, istos tres motus multi (ut dictum est) complectuntur. Nam etsi uerum est, quod antea diximus in primo istorum trium motuum re-

gnare

quare præcipue ardentem boni agniti nobisq; summe necessarij expetitionem. In secundo uero assensum, & in tertia lætam illam in iam placatum Deum fiduciam & illum spiritus ac cordis clamorem ABBA pater. Tamen nec primus quidam motus sine omni fiducia est. Nec enim peteremus nisi aliquid spei iam subesset nos impetraturos. Nam ab eo, quē simpliciter nobis iratum putamus (ut de Deo ante auditum Euangelium sentimus) nihil audemus petere. Multo uero minus secundus motus est sine fiducia, cum iam concludimus Deum hanc nostram precationem exaudire. Et nihilominus satius est singulos motus suis nominibus à potiori seu regnante affectu sumptis denominari.

Vtilitas usitatæ generalitatis.

Habet quoq; illa usitata docendi ratio, quod tres isti motus à plerisq; comprehenduntur, suum usum. Prodest enim adhoc, ne multitudo tenuitasq; partium memoriam præsertim rudium auditorum effugiat.

Vsus exactioris partitionis fidei.

Hæc tamen altera aliquanto exactior partitio multis nominibus utilior est. Nam primum nonnihil magis, præsertim attentioribus auditoribus, rem ob oculos subijcit, totamq; fidei formam euoluit & explicat.

Secundo non ſolum τὸ ὅτι, Sed etiam τὸ διότι oſtendit, id eſt, non ſolum quid ſit fides, ſed etiam quare fide tantum promiſſiones Dei apprehendamus, & non aliquo alio inſtrumento (de qua tamen re poſtea prolixius dicetur) quia ſcilicet fides ſit agnitio ultro oblatarum promiſſionum, flagitatio illarum, in flagitatione aſſenſio, & poſtremo fiduciam in impetratam Dei miſericordiam habere, ſeu acquieſcere in agnito & impetrato bono.

Tertio docet, quod oratio recte in fide comprehendatur, & quod ſit precipua pars ac ueluti medulla fidei.

Poſtremo etiam excludit inanem multorum fiduciam, qui ſine uera inuocatione ſecuri uiuunt, ac putant ſe recte fidere Deo, cum tantum umbram quandam ultimi horum trium motus, id eſt, fiduciæ habeant. Duos uero priores penitus negligant, aut etiam ignorent.

Fide iuſtificari quid ſit.

Ex hac deſcriptione ſpero facile intelligi poſſe, quid ſit, quod Paulus dicit, per fidem iuſtificari hominem, nempe tanquam per inſtrumentũ quoddam, quo unico miſericordiam Dei, merito Chriſti nobis oblatam apprehendimus.

Rectiſſime

Rectißime enim credo dici posse, in nostra iustificatione esse duo instrumenta, alterum ex parte Dei, alterum ex parte nostri. Duo instrumenta in iustificatione.

Ex parte Dei est eius uoluntas uel promißio in uerbo & sacramentis patefacta, & nobis proposita, seu etiam ipsum uerbum & sacramenta. Nã & uerbo Dei mundari dicuntur pij Ioannis 5, & per Baptismum regenerari Ephesios 5. Tit. 3. Ioannis 3. Instrumentum Dei iustificantis.

Ex parte nostri est fides illam nobis propositam Dei uoluntatem seu promißionem excipiens, Quæ instrumenta perinde sibi mutuo obuiant, ac manus diuitis stipem porrigentis, & manus pauperis eam excipientis. Per hæc enim potißimum duo instrumenta Deus nobiscum agit, nobisq; æterna bona communicat. Spiritus sanctus autem utriq; horum instrumentorum uitam præbet, nam & uerbum facit efficax, & fidem in nobis generat. Hæc interpretatio & ualde dilucida est, & etiam procul dubio uerißima. Instrumentum hominis iustificandi.

Altera interpretatio huius dicti, nempe quod per fidem iustificari sit correlatiuè intelligendum, id est, per meritum Christi, quod fides respicit, ut falsa non est, ita mihi aliquanto obscurior uidetur. Dilucidius

cidius enim futurum opinor, si distinctis causis dicamus nos per misericordiam Dei ac meritum Christi iustificari, tanquam per causam efficientem, per uerbum autem & sacramenta ac per fidem, tanquam per causas instrumentales.

Vsus doctrinæ de duobus instrumentis.

Et sic simul (ut & hoc moneam) certius uitaretur cum papistarum error omnia operi operato, & sacramentorum efficaciæ tribuentium, fidem uero Christi passione per sacramenta annunciata & testificata nitentem negligentium, tum Anabaptistarum, qui spiritum & fidem sine uerbo & sacramentis se habere posse opinantur, eamq; solam neglectis illis omnia perficere. Clare enim cerni posset, quòd cum sint duo præcipua instrumenta, quæ in nostra salute peragenda sibi mutuo obuia concurrunt, nulla plane salutaris actio sit consecutura, si alterutrũ, ex illis instrumentis aut subtrahatur aut non recte alteri obuiam exporrigatur. Idq; cum diabolus optime sciat, studiosc doctrinam cœlestem de nostra salute differentem mutilat, ac truncat.

Nec uereor ne hac interpretatione in aliquam opinionem de merito fidei incidamus, gratuitæq; iustificiæ aliquid detrahere uideamur. Cum primum non possit dici meritum, quod mendicus manum porrigit,

rigit, qua stipem excipiat, deinde hoc ipsum instrumentum nempe fides sit donum Dei, ut apostolus ad Philip. 1. testatur.

Quin potius ex hac explicatione, quòd fides sit quedam mendica manus, recte intelligi poterit, quòd fide iustificari sit idem, ac gratis iustificari, seu precario iustificari, ex qua natura fidei & Paulus Rom 4. argumentatur, Si Abraham fide iustificatus est (ut scriptura testatur) igitur gratis ac precario, & non ex merito operum. Recte enim, ut opinor, monet ibi doctissimus uir M. Buccrus, uim argumenti non in uerbo λογίζεσθαι sed in fidei natura sitam esse, & ex fidei ingenio Paulum concludere, Abrahamum gratis iustificatum esse.

Hanc naturam fidei Paulus eodem capite indicat, cum inquit, Ideo per fidem, ut sit gratis, ac ut sit firma promissio. Perinde enim est, ac si diceret, Ideo precario & non ob meritum contingit salus, ut sit gratuita, ac per consequens firma promissio. Atq; hæc de fide, eiusq; partibus seu modis, deq; salutis nostræ instrumentis dicta sint.

TERTIA PARS, QVOD SOLA fides iustificet.

Propositio huius tertiæ partis.

NVNC uero locus postulat, ut dicamus aliquid de nunc controuersis quæstionibus, utrum per solum Christum sola fide apprehensum iustificemur, & saluemur, an uero per opera. Et, si per solum Christum fide apprehensum, quid opera ad rem faciant.

Calumniæ papistarum.

Nam obijciunt papistæ docentibus de gratuita iustificatione, quæ fit per solam fidē Christi beneficia apprehendentem, Quomodo sola fide, siquidem necesse est adesse bona opera? Aut si sola fide iustificamur, non sunt igitur necessaria bona opera. Prohibetis igitur bona opera, peccabimus igitur. Plane sicut olim hypocritæ Pauli doctrinā de gratuita per fidem iusticia calumniabantur. Sed pronunciat de eis uicissim Paulus, quod eorum condemnatio iusta sit.

Quanquam

Quanquam autem eiusmodi homines nec digni sunt responsione, nec eis, etiamsi optime fiat, prodest. Tamen quoniam Ecclesiæ semper in hac uita pugnandum est cum calumniatoribus, siue homines sint siue diaboli, qui etiam ab hoc præclaro artificio nomen nacti sunt, dicemus & nos quædam ea de re, ac prius quidem probabimus nos per opera non iustificari, postea uero demonstrabimus nos per solam fidem iustificari.

Primum autem esset perutile & ad huius quæstionis explicationem & ad aliarum multarum, cognoscere, cuiusnam conditionis simus, ac quomodo se res nostræ rationesq; cum Deo habeant. Nam pleriq; homines diabolico fastu tumentes & consuetudine uitæ humanæ decepti cogitant, se perinde ex æquo cum Deo agere, & contrahere, sicut cum suo uicino. Si operor meo uicino, cogitant, debet mihi mercedem, Si non uult dare, nolo ei seruire, Sin uult gratis dare, liberum mihi erit uel seruire ei uicissim, uel non. Error multorum de conditione hominis.

At Dominus Iesus, qui uere patris magnitudinem & patris contra nos miserrimos peccatores iustissimam iram cognouit, quiq; cum Deus esset, formam serui accipiens, exinaniuit se, ac pro nobis

fugitiuis ſeruis & ſanguinem ſudare coactus eſt & ignominioſum ſupplicium perpeti, longe aliam eſſe noſtram conditionem Lucæ 17. declarauit, cum ait. Quis autem ueſtrum eſt habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo ex agro (nempe ueſperi iam defatigato, ſitienti & eſurienti) dicat ſtatim, tranſi, & accumbe, ac non potius dicit illi, para quod cœnem, et præcinge te, ac miniſtra mihi, donec edero ac bibero, & poſt hæc edito, ac bibito tu? Num gratiam habet ſeruo illi, qui fecit, quæ ei imperata fuerant? non puto. Sic & uos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt uobis, dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.

Explicatio loci Lucæ. 17.

Hanc ſimilitudinem uel rei potius ipſius narrationem ſic quæſo paucis perpendamus. Si ſit cuipiam iuſto homini ſeruus empticius (quales tempore Chriſti, ubiq; terrarum erant plurimi) qui multis annis fideliſſime ſuo hero ſeruiuerit, quæro nũ uere dici poſſit promeritus eſſe manumiſſionem? Negabis, ut opinor. Si quæram, quare non ſit promeritus, dices, quia quicquid omnino facere potuit, hoc iam ſuo hero debuit, quare ſi exactiſſime ſuum officium fecit, debitum reddidit, & nihil inſuper eſt promeritus.

Quid

Quid autem, si herus ex sua benignitate uult ei libertatem donare? dices ingenti bonitati heri præter suum meritum tantam rem sibi donanti debet ex animo gratias agere, ac in posterum operam dare, ut ei gratus sit. Quid uero si insuper herus uult eum sibi adoptare & hæredem omnium suorum bonorum facere? Exclamabis, O ingentem heri benignitatem. Nihil aliud debet facere iste seruus toto uitæ tempore, nisi ut heri sui bonitatem prædicet, eamq; heri sui beneficentiam præter omne suum meritum sibi contigisse fateatur, ac omnibus modis annitatur, ut & gratus sit suo isti iam patri, & nihil omnino agat, uel cogitet, quòd ei displiceat.

Quid si non multis annis, sed tantum diebus aliquot suo officio recte functus sit, die uero quapiam non solũ negligat suam functionẽ, sed etiam iniuriam insuper hero inferat grauißimam, quæso num iste seruus sic debeat alloqui herum? Seruiui tibi aliquot diebus recte, seruiam & in posterum diligenter. Mercor igitur, ut non castiger. Minime inquies, nam responderet ei herus. Non furcifer,

furcifer, si mihi aliquot diebus recte seruisti, aut imposterum es facturus, non ago tibi gratias, nihil ea re mercris. Cogeris enim ex seruitutis obligatione mihi seruire quàm rectissime. Idcoq; mancipium istud quamprimum uapularet cum sua importuna meriti iactatione.

Sed si procumbens ad genua heri diceret, mi here fateor me peccasse, & cruce dignum esse, & doleo factum. Sed tamen noui te, quam sis clemens, & quidem pollicitus es te mihi fore clementem herum, proinde obsecro te, ne me cedas, aut certe mitius cedas, quàm sum promeritus, Sic forte aliquid impetraret. Quid autem eidem faciendum erit, si sæpius crimen repetat? dices, tanto magis misericordia heri imploranda erit, si modo sit spes aliqua impetrandi.

Quid uero si herus pro sua clementia semel atq; iterum ignouerit, debet ne iste nequam seruus dicere, uideo meum herum esse clementem, & ignouisse mihi iam aliquotics sine ullo meo merito, proinde peccabo porrò petulanter? Non, respondebis, Sed si non uult rectà in crucem agi, debet sic secum cogitare. Heri designaui facinus, pro quo optimo iure poteram supremo supplicio affici, quod quoniam mihi

um mihi heri mei clementia remisit, omni cura conatuq; contendam, ne iterum tale aliquid committam, neue me in tantum discrimen conijciam. Sin commisero per negligentiam, aut alioqui aliam culpam, ut sum nihili & nequam seruus, procumbam ante herum, & misericordiam eius semper supplex implorabo.

Hoc modo si unusquisq; uel maximus hypocrita seruo erga herum, homini nempe erga hominem faciendum esse iudicat, quare idem & Christi doctrinæ credere non uult, ac agnoscere, & fateri, se, nosq; alios homines apud Deum nihil aliud quàm seruos inutiles esse, nihilq; meritos, etiamsi omnia exactissime faceremus, quæ Deus nobis mandat, fecisse nimirum nos tantum ea, quæ alioqui facere obligati eramus. Si autem Deus pro sua ingenti misericordia culpam ac pœnam præteritorum peccatorũ ac originalis labis remittit, id plane nullo nostro merito cõtingere, sed mera misericordia Dei. Quod si pro sua ineffabili bonitate non solum culpam & pœnam præteritorũ remittere uult sed, insuper sibi nos adoptare, suum sanctum spiritum nobis donare, & nos uitæ æternæ hæredes facere, nihil aliud restare, nisi ut toto uitæ tempore & ineffabilem Dei erga

Applicatur ad proximum faciendum positum præcedens similitudo.

erga nos benignitatem prædicemus, & nullo nostro merito nobis eam contigisse serio & ex animo fateamur, caueamusq; omni cura & conatu, ne istum tam benignum erga nos patrem unquam ullo modo offendamus.

Cum uero non solum nunquam satis recte nostrum officiũ exequamur, quin etiam contraria faciamus, ut non solum non diligamus Deum ex toto corde, aut proximum, sicut nos ipsos, sed etiam odio habeamus, ac iniuria afficiamus, sicut teste Paulo nemo legi satisfacit, ac etiam iustus septies in die cadit. Cur igitur nolunt agnoscere, ac fateri hypocritæ, se ac nos non solum inutiles seruos esse, sed etiam damnosos & in herum contumelioſos omnibusq; crucibus dignißimos, nihil nos hactenus nec meritos esse, nec in posterum mereri posse, pro quo merito uel minima pars culpæ, aut pœnæ nobis remittatur? Quare nolunt nos & credere & clamare cum Daniele Propheta Dei sanctißimo, Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei, & exaudi nos propter Dominum, prostratosq; coram Deo uociferari remitte debita, remitte? Præsertim cum nos longe magis obstricti Deo simus, quam ullus seruus suo hero, & nulla sit proportio comparationis

onis ſerui ad herum, id eſt, hominis ad hominem, & hominis ad Deum creatorem cœli & terræ, nec ſit ulla æqualitas noſtræ offenſæ contra Deum, & ſerui contra ſuum herum. Ac deniq; quicquid ſeruus facit, id proprijs uiribus facit, at nos ſi quid ſumus, gratia Dei ſumus, nihil plane habemus, quod non ex gratuita miſericordia Dei acceperimus.

Superbia & arrogantia hypocritarum.

Sed ô ingentem ac plane diabolicam ſuperbiam & arrogantiam cum omnium hominum, tum præcipue hypocritarum, quàm difficile eſt eis ſe coram Deo proſternere, uere agnoſcere & fateri, ſe eſſe plus quàm inutiles ſeruos, nec illa quidem feciſſe, quæ debuerant, tantum abſit, ut ſupra ſolutionem debiti ſint aliquid promeriti. Quin illi contra contendunt ſe non ſolum debitum perſoluiſſe, ſed etiam ultra ſolutionem debiti meritos, nec ſolum modo tantum promeritos eſſe, quantum ſibi ad ſuam ſalutem ſatis ſit, ſed etiam habere opera ſupererogationis (dixiſſent rectius ſupereructationis) quæ alijs uendant, aliosq; per illa ſaluent, ac beent.

Arrogantius profecto & contemptius egimus cum Deo, quàm hic in terris cum hominibus facere auderemus. Quis enim mendicus tam effrons inueniri

ueniri queat hic in terris, qui auderet diuiti homini dicere, se meritum grande aliquod præmium, quia mendicando multum ipsi obstrepuerit? aut si tamen aliquis tam superbus mendicus inueniretur, an impetraret aliquid, ac non potius fustibus abigeretur?

At nos ausi sumus ita mendicas nostras precatiunculas (& quales tandem precatiunculas?) Deo ac sanctis offerre, tanquam magni meriti donaria, pro quibus illi nobis uicissim aliquid boni redderent. Quin & diligenter eas globulis uel alijs modis supputauimus, ut sciremus, quantum illarum pretiosissimarum opum Deo uel alijs sanctis dare uelimus, & quantum uicissim illi suarum mercium nobis reddere deberent. Adeo omnia ad nostrũ meritum reduxeramus obliti penitus magnitudinis nostrorum peccatorum, ac unici meriti Christi.

O utinam fuissemus edocti mala nostra merita tam diligenter supputare, ac, cum miseriæ nostræ magnitudinem agnouissemus, unici saluatoris misericordiam implorare, & non mendici superbe opera nostras ostentare, ac ita cœlestes illas gratis oblatas negligere.

Plane nobis oratio non fuit mendica quedam petitio

petitio ac imploratio misericordiæ & beneficiorum Dei (sicut tamen re uera esse debet) sed beneficij data. Quare si displicuit Deo pharisæus ille, qui tamen ei gratias agit, quòd sibi illas uirtutes donauerit; agnoscitq; se illa opera non ex sese, uerum ex Dei dono præstare, quanto peius nostræ preces in cælo acceptæ sunt qui non solum non agnouimus, nos quicquid haberemus, ex Dei misericordia habere, Sed simpliciter animo benefaciendi Deo, ac illo beneficio mercendi uicißim ab eo beneficium, eius maiestatem inter orandum accessimus. Plane uereor, immo sic omnino statuo illas eiusmodi nostras orationes nobis uersas esse in peccatum, ut Psalmus 109. inquit. Ita nos hypocrisis & satanas sua superbia & arrogantia inflarant, ut oratio, quæ nobis æternam uitam ac omnia bona apud Deũ emeniticura erat, nostrapte culpa nobis in perniciem sit conuersa. Sed ad rem.

Sic concludo: Si seruus, nec meretur quicquam, etiamsi omnia exacte faciat, quæ eius officij sunt, nec si herus solum ex misericordia ei peccata remittit, debet propterea petulantius peccare, concludo inquam & quidem necessario, nos neq; iustificari per nostra bona opera, sed esse seruos inutiles, Conclusio explicationis loci Lucæ. 17.

etiam si omnia integre faceremus, multo minus cum tantum primitias easq; pertenues spiritus & nouæ obedientiæ habeamus. Nec tamen bona opera non esse necessario facienda, etiamsi Deus gratis ob passionem unigeniti filij sui nobis peccata remittit, nosq; uitæ æternæ hæredes facit. Sed nos omnibus uiribus in hoc incumbere debere, ne per uiolationem mandatorũ in manus uiuentis Dei incidamus, ac si transgressi mandata fuerimus, tantum ad misericordiam Dei nobis semper confugiendum esse, non ad nostra merita, quæ nulla sunt, nisi mala.

Similitudo hæc seu potius rei ipsius expositio non est nostra, sed ipsius Domini Iesu Christi unici saluatoris nostri Lucæ 17. Ego qualemcunq; declaratiunculam & applicationem ad præsens negotium addidi, ut non sit accipienda, sicut de similitudinibus ab hominibus inuentis dici solet. Similitudines declarare, & non probare.

Homines luto, Deus figulo in sacris literis cõparatur.

Est & alibi aliquanto durius, & magis proprie depicta nostra conditio. Nam Deus Esai. 45. & Ierc. 18. & Roma. 9. comparat nos luto, scipsum uero figulo, in qua sententia itidem manifestissimum est, nihil plane lutum apud figulum mereri posse,

posse, aut de ullis meritis gloriari. Verum nobis iam priorem illam similitudinem accipere usum est.

SED AGE, tentemus de hac eadem re locoq; paulo clarius & exactius dicere, quandoquidē hypocritæ tantas quæstionum tempestates nobis cient. Locus Luc. 17. exactius explicatur.

Christus in hoc loco primum dicit, quòd si sit aliquis seruus, qui uel rectissime suo officio fungatur. Id enim intelligit cum dicit, Si uesperi domū reuertatur ex agro, nempe defatigatus, sitiens et esuriens, & tamen ne tunc quidem uel quiescat adhuc, uel cibum potumue sumat, sed paret hero cœnam, ministret ei per ocium cœnanti, ac tum demum, cum herus satur fuerit, seruus ipse omnibus expeditis cœnam sumat, Is ipse seruus, qui tam sedulo suo munere fungitur, nullam tamen gratiam apud herum merebitur. Fecit enim id, quod ex iure seruitutis debebat. Ac per hunc seruum unumquenq; Christianum intelligit, ut postea declarat. Docet igitur Christus hic nullum hominem, quantumuis exacte legi obediat (quod tamen nemo facit) quicquā per suam obedientiam apud Deum mereri, sed tantum id, quod alioqui debuerat, præstare. Seruus rectissime hero suo seruiens nihil meretur.

Hic statim ogganniunt hypocritæ, si nihil mereatur, etiam cum omnia fecerimus. Quare igitur bene Obiectio hypocritarum.

tur bene operabimur? Si respondero secundum Christi sententiam in hoc loco positam, & in Paulo ad Roma. 8. Quia debitores sumus hanc obedientiam præstare Deo. Item sicut Paulus Rom. 6. respondet, Renunciauimus priori uitæ, ac mortui sumus ei, igitur non debemus secundum eam uiuere. Regenerati sumus ac surreximus cum Christo ad nouam uitam, igitur debemus secundum eam uiuere. Item Ephe. 2. Cum sitis gratia seruati per fidem, & non ex uobis, & sitis opus Dei ad hoc in Christo conditi, ut posthac in bonis operibus ambuletis, oportet uos deinceps pie uiuere. Item Matth. 5. Sic luceat lux uestra, ut glorificetur pater uester cœlestis, non erunt contenti hac responsione.

Cogitant, si ego ipse nihil utilitatis inde recipio, nolo operari. Et omnes omnino istæ causæ leuiores uidentur istis sanctissimis hypocritis, quam ut uelint sua illa tam præclara opera tam inutiliter profundere. At hinc apparet quantopere Deum diligant, nempe ut longe plus seipsos diligant, omniáq; propria ipsorum utilitate metiantur.

Non sunt contenti opera esse eucharistica sacrificia, sicut Paulus docet, & ad Hebre. 13. & ad

Roma.

Rom. 12. (qui etiam aliàs semper postquam docuit primum de pœnitentia & deinceps de iustificatione, postremo addit doctrinam de NOLI AMPLIVS PECCARE, quam iustificatis tradit, sicut & Christus) Sed uolunt ea etiam propiciatoria sacrificia esse. Proinde age perpendamus, quid tandem nostra opera ad iustificationem ac salutem faciant, quæramusq; id ex hac eodem loco, in quo Christus nostrã conditionem exponit.

Quid seruus ex sua perfecta obedientia lucretur.

Seruus iste, qui exacte suo officio fungitur, ac domino rectißime obedit, si nullam gratiam promeretur, quid tandem plus commodi habet ex sua illa obedientia, quàm si plane sit inobediens? Hoc nimirum, quod nõ peccando non irritat herum cõtra se, sed eum talem sibi seruat, qualis ei antea fuerat, si antea infestum nonnihil herum habuit, per obedientiam cauet, ne sibi eum infestiorem reddat. Si neq; amicum neq; inimicum, talem sibi conseruat, sin fauentem, itidem heri fauorem sua obedientia retinet. Hoc idem et de nobis nostrisq; operibus dici posset, si ea perfectißime præstaremus.

Hæc clarius in exemplo Adam probe cogitato illucescent. Nam Adam statim cum esset creatus, erat iam ex dono creatoris iustus, gratuitum Dei

Quid Adamus ex sua perfecta obedientia commodi habuisset.

fauorem & beatam illam uitam habebat. Quod probo, primum, quia testante scriptura coram Deo erat ualde bonus, id est, placebat Deo. Et quia dicit Deus, quacunq; die comederis, morte morieris, q.d. En iam habes meum fauorem, mihi places, ego te bonum creaui, dono te insuper uita illa beata, & facio te dominum terræ, idq; tantum ex mea benignitate. Nunc si uoles mihi esse obediens, conseruabis tibi hæc bona omnia, sin minus, amittes ea, & quandocunq; mandatum fueris transgressus, perpetua illa morte morieris. Igitur iam uiuebat uera uita. Loquitur enim Deus ibi non tam de corporali quàm de æterna morte.

Perfecta impletio legis est φυλακτικὴ causa iustitiæ

Poterat igitur Adam per obedientiam suam perfectam (quæ tunc erat ei possibilis) conseruare illam iusticiam & uitam, quam Deus, cum cum crearet, ei donauerat, & per inobedientiam poterat utrunq; amittere. Per obedientiam autē quantumuis exacte præstitam nō poterat iusticiam & uitam mereri, quia iam tum illa habebat ex dono, sed conseruare illa gratuita Dei dona potebat.

Ex his sequitur perfectam obedientiam nihil aliud ad iusticiam nostram facere posse, nisi ut sit causa (ut ita dicam) φυλακτικὴ, id est, nos in eo statu conseruans, in quo tunc fuimus, cum legi Dei satisfacere

iustificare incœpimus, si enim penitus nõ peccaremus, Deũ semel placatũ cõtra nos denuo nõ irritaremus.

Quemadmodum sal conseruat carnes in eâ integritate, in qua tunc erant, cum salitæ sunt, & non dat eis integritatem, sed prohibet, ne magis corrumpantur, quàm antea erant corruptæ. Sic integra obedientia conseruat eos, qui eam præstant, in eo statu, in quo tunc erant, cum eam præstare inciperent. Siquidem uerum est quod Dominus dicit, nos, cum omnia fecerimus, facere quod debemus, & nihil gratiæ promereri.

Proinde si quis sit, qui post impetratã per Christum remissionem peccatorum, acceptationem apud Deũ, ac regenerationem exactissime legi Dei obediat, is illam gratuitam iusticiam ac fauorem Dei non amplius peccando illæsum conseruaret, Deumq; sibi denuo iratum non redderet.

Sic angeli iam per suam perfectã obedientiam cõseruant id, quod semel in creatione gratis acceperunt, et nõ acquirũt subinde suis meritis absolutiorẽ quandam uel iusticiam uel fœlicitatẽ. Sic et nos in altera uita conseruabimus eam iusticiam & adoptionem, quam gratis propter meritum Christi accepimus, & non subinde absolutiorem iusticiam operando consequemur.

Nostram mancam obedientiam non posse esse φυλακτικὴν causam.

Cum uero in hac uita nemo sit hominum, excepto Christo, qui non sit mendax, & sæpißime labatur etiam post regenerationem, quod prolixius à nostris præceptoribus probatur, & ab aduersarijs iam conceditur, sequitur, istam nostram multilatißimam obedientiam non solum non conseruare iusticiam per Christũ gratis donatam, sed cõtinue irã Dei contra se excitare. Quare cum negare non possimus nos habere peccatum teste Ioanne, cogimur accedere nostrum aduocatum, quem apud Deum habemus, nempe Dominum Iesum, ac per eum aßidue flagitare, ut nobis pater remittat peccata nostra, pro qua re, ut & Dauid inquit, Orabit te omnis sanctus in tempore opportuno.

Quid nostra mutila obedientia ad salutem faciat.

Quanquam autem, ut diximus, nequaquam integre Deo obediamus, nec poßimus partam iam alieno labore iusticiam nostris meritis conseruare, tantum abest, ut eam uel promereri, uel augere, uel perficere queamus. Tamen hæc ipsa ualde manca obedientia, uel potius conatus obedientiæ plurimum etiam ad rem facit. Nam primum ante remißionem peccatorum necesse est præcedere aliquam pœnitentiam, seu cessare malefacere, ut prophetæ loquuntur,

tur, Deus enim non uult esse misericors impœnitentibus. Deinde non potest uel contritio, uel fides, uel inuocatio uera, uel bona conscientia adesse, cum non adest studium obediendi Deo. Tertio post conuersionem uult Deus nobis remittere peccata, si non uiuimus secundum carnem, sed secundum spiritum, Roma. 8. id est, si conamur obedire uoluntati diuinæ. Nec enim misit filium suum, ut daret peccandi licentiam, sed ut nostræ miseriæ opitularetur. Postremo quanto minus peccamus, tanto minus Deum offendimus. Seruus enim uoluntatem Domini nescius, & non faciens uapulabit plagis paucioribus. Atq; hinc apparet, quatenus nostrum studium obediendi Deo dici possit causa, sine qua non, seu ὑπηρετικόν τι, id est, quiddam subseruiens ad salutem.

Ob has causas aliquando bona opera in scripturis laudantur. Cauendum est autem sedulo, ne ita eas laudes accipiamus, ut nos nostráq; opera uelimus in solio propiciationis coram Deo pro Christo collocare, ne nobis cum nostra sanctitate idem accidat, quod de Lucifero narratur. Nam nostra bona opera & sunt tantum opera Christi in nobis ex ipsius benignitate per spiritum sanctum excitata, & Bona opera cur in scriptura laudentur

tantum abeſt, ut pro nobis Deo ſatisfacere, ac propiciari poßint, ut etiam ipſa Chriſti propiciatione ac gratuita acceptatione indigeant, ideoq; ne ſibi quidem ex ſui præſtantia opem ferre queant, tanto minus nobis. Quemadmodũ uerißime dicit Eſaias omnis caro fœnum, & omnis ſanctitas eius ſicut flos agri, ideſt, ut ipſe interpretatur, res euanida.

Eſaie. 40.

Concluſio ſecundæ explicationis loci Lucæ. 17.

Proinde concludimus noſtra bona opera nullo modo eſſe cauſam efficientem uel iuſticiæ uel ſalutis æternæ. Nam cauſa efficiens eſt ſolus agnus Dei, ſolus, inquam, ille tollit peccata mundi, & ipſius ſolius uulnere ſanati ſumus, nec ſolum tollit peccata, ſed etiam adoptionem, donum Spiritus ſancti, et uitam æternam nobis impetrat. Sola aũt fides eſt cauſa inſtrumentalis, qua hoc beneficiũ accipimus, Obedientia uero (ut diximus) ſi eſſet perfecta, ut nõ eſt, eſſet cauſa retinens et conſeruans hoc gratis datum beneficiũ. Seu, q, idem eſt, nõ peccando nõ mereremur nouã iram Dei, nõ irritaremus eũ denuo cõtra nos.

Iam uero, cum in nobis ſint tantum primitiæ quædam nouæ obedientiæ, non poſſunt bona opera uel noua obedientia ne φυλακτικὴ quidem, id eſt, cõſeruatrix cauſa dici. Sed tamen hunc conatum obedientiæ requirit Deus, facitq; aliquid ad rem, ut dictum eſt.

PINXIT

PINXIT nobis Dominus Iesus & alia pictura nostram conditionem, nempe debitoris, qui non modo soluendo plane non sit, sed etiam quotidie es alienum adaugeat, cuique nihil aliud reliquum sit, nisi (si non uult uendi, aut in carcerem abripi) ut ad genua creditoris sui supplex procumbat, Luc. 7. & Matth. 18. Atq; haec pictura cum primus uisa est Christo, recte nostram conditionem exprimere, quare eam & in quotidiana precatione inseruit, ut omnes Christiani etiam sanctissimi subinde ipsam repetendo conditionis suae statum inde discerent. Proinde & nos eam sepe nobiscum probe examinare debemus. Inueniemus enim eadem illa in ea doceri, quae & in superioribus diximus. Alia pictura conditionis humanae.

Primum enim si cogitauerimus esse aliquem debitorem, qui et antea tam multa millia talentorum debeat, ut nullo modo ea exoluere queat, & insuper quotidie fiat obæratior. De hoc debitore si quæreremus, num posset suo labore suisq; opibus tantum efficere, ut aliquid de bonis heri emat. Insanos nos protinus omnes clamarent, siquidem iam semel audiuimus debitorem istum non solum uetus debitum soluere non posse, sed etiam quotidie summam eius apud istum herum & creditorem suum augere, nullo Explicatio similitudinis debitoris.

Nullo igitur modo potest insuper aliquid lucrari.

Quid igitur faciendũ isti misero obærato, ne perpetuo in nexum detur? Negabit hic humana ratio quicquam consilij adesse, neq; enim uerisimile est in ullo homine tantum benignitatis esse, ut uelit & præteriti temporis debitum gratis condonare, & insuper plura suppeditare, cũ recipiendi suum nulla spes adsit.

Quid uero si iste creditor sit tam ineffabiliter clemens, ut huic misero debitori uelit esse misericors, si modo id petierit? Omnes protinus uno ore iubebunt, ut se iste miser ante heri sui genua' supplex prouoluat. Ac, siquidem impetrare poterit tantæ summæ remissionem, perpetuo agnoscat, hæc sibi omnia præter omne meritum contigisse, perpetuo huic tam benigno homini gratias agat, ac eum celebret, caueatq; omni cura, ne quid unquam admittat, quod ei displicere possit.

Quid si iste herus & creditor uelit insuper amplissime ditare istum suum obæratum? hanc uero omnes exclamabunt eiusmodi benignitatem esse, quæ & inaudita sit, & nunquam satis celebrari queat.

Hoc

Hoc modo unumquenq; ualde oberatum à creditore suo debere petere gratuitam condonationem (siquidem hanc ipsam assequendi spes sit) nemo hominum dubitat. At in ingenti debito nostro, quod Deo debemus, & cuius summam quotidie magnopere augemus, contendunt ij, qui neq; peccatum, neq; iram Dei, neq; misericordiam unquam uere agnouerunt, nos nostris operibus multum mereri posse. Nec uolunt credere Dominum Iesum esse unicum redemptorem, qui omnium totius nostræ uitæ peccatorum chirographum per crucem abolerit, Colossen. 2. nec uerentur isti mendici ambitiose suos pannos ostentantes, ne dicat eis Dominus IESVS, non ueni propter uos iustos.

Applicatur præcedens similitudo ad propositum.

Eleuant quidem hypocritæ petitionem remitte nobis debita nostra, aiuntq; intelligendam de leuiculis ac uenialibus quibusdam peccatulis, cum Apostoli & alij uere pij eam orant. At Paulus non de leuiculis loquitur, cum inquit, Inuenio aliam legem in membris meis captiuantem me legi peccati. Et Dauid, cum inquit, pro hoc orabit te omnis sanctus in tempore opportuno.

Est admodum elegans locus in Esai. cap. 55.

& ad

Notabilis locus Esai. 55.

& ad præsentem materiam percommodus, quia, quia & de gratuita iustitia docet, & de iustitia hypocritarum, non pigebit adscribere. Primum Deus inuitat benignissime omnes ad gratuitam iustitiam accipiendam, aliaq; omnia bona sine ullo merito, inquit enim ô uos omnes sitientes uenite ad aquas, etiamsi nõ habetis argentũ, uenite, accipite, comedite, uenite, accipite sine argento & sine precio uinum & lac.

Sed nolunt uenire hypocritæ ad hunc fontem aquæ uiuentis, malunt sibi fodere puteos, qui aquam non habent. Volunt suo argento suoq; labore sibi emere uictum, id est, suis operibus & cultibus ueram iustitiam ac salutem parare. Proinde obiurgat eorum stulticiam Deus. Quare exponitis argentum uestrum pro eo, quod non est uere panis, et laborem uestrum pro non saturitate. Et porro pergit omnes ad gratuitam salutem inuitare.

Conclusio similitudinis de debitore.

Sed hactenus de similitudine debitoris, in qua uelim illud nos uel in primis meminisse, quod, si ne hoc quidem præstare possumus omnibus nostris opibus & sudoribus, ne quotidie debiti summam augeamus, multo minus de præterita summa aliquid diminuere

mittere poterimus. Optimo iure igitur omnes sancti subinde coram Deo procumbunt, ac orant Remitte nobis debita nostra.

Animaduerterunt & monachi olim nostram obedientiam alioqui deberi Deo, ac propterea nihil nos ea mereri. Quare excogitauerunt alia quædam merita, quæ supererogationis opera appellauerunt, quibus scilicet illi & sibi & alijs æternam uitam promererentur. O præclaram sapientiam, sed quæ coram Deo sit summa stulticia. Nam eo ipso facti sunt idolatræ, & illis demum præclaris operibus uere æternas pœnas commeruerunt, dum nouos cultus sine uerbo Dei, immmo uero contra uerbum Dei instituunt. Cum autem hoc idolatriæ genus à multis hoc tempore prolixe confutatum sit, nos iam de eo prolixius non dicemus. Atq; hæc de statu & conditione nostra, deq; nostris cum Deo rationibus, in quibus simul aliquatenus probauimus nos nostris operibus non iustificari, quod tamen ipsum in sequentibus adhuc magis eluceſcet. Declarauimus etiam, quid nostra opera ad salutem faciant.

De operibus supererogationis.

PORRO,

PORRO, quoniam omnibus temporibus multum disputatum est, quid tandem sit illa iustitia, qua coram Deo iusti sumus, quam etiam Dei iustitiam scriptura sæpe nominat, fortasse operæprecium fuerit breuiter eam definire, ac definitionem aliquot bonis argumentis communire.

Psal. 69. Rom. 3. 10 Phil. 3.

Descriptio iustitiæ coram Deo ualentis.

IVSTICIA DEI, cum de ea iustitia dicitur, qua iustificat impium, & qua omnes pij toto uitæ tempore iusti coram Deo sunt, eiq; placent, proprie est illa acceptatio, qua Deus omnes uere credentes non ob ullam ipsorum propriam dignitatem, sed propter unicum Christi meritum recipit, & pro iustis ac filijs suis habet. Cuius partes sunt remissio peccatorum & adoptio, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti, qui inchoat nouam lucem & iustitiam in cordibus. Quod autem iustitia sit tantum gratuita quædam acceptatio, probari potest his sequentibus argumentis.

Argumenta, quibus descriptio iustitiæ cõfirmatur.

1. Paulus crebro admodum penitus excludit iustitia ac salute nostra, opera legis, ut Roma. 3. Galat. 2. legem, ut Roma. 3. opera, ut Roma. 11. Ephe. 2. opera nostra 2. Timo. 1. Ac denique nos penitus Ephe. 2. Item sæpe dicit nos iustificari gratis. Rom. 3.

Rom. 3. 4. 11. Ex quibus testimonijs clare perspici potest, nostra bona opera, neq; causam efficientem esse, neq; partem illius coram Deo valentis iusticiæ.

II. Sepe dicit Paulus à iusticia nostra excludi penitus omnem nostram gloriationem, ut Rom. 3. 1. Cor. 1. Ephe. 2. Si autem aliquod nostrum meritum accederet ad iustificationem nostram, esset profecto aliquid, de quo gloriaremur.

III. Oportet omnes, etiam sanctissimos, ex animo agnoscere & fateri, se esse coram Deo miserrimos peccatores, & petere gratuitam absolutionem, quod probatur ex oratione dominica. Remitte nobis debita nostra &c. Et Psalmo 32. pro hoc te orabit omnis sanctus. Ibidem testatur Dauid, sc, quamdiu fateri noluit, se esse miserum peccatorem, fuisse maiores cõscientiæ cruciatus sensisse, idemq; plane omnes pij in semetipsis experiuntur. Item 1. Ioan. 1. Si dicimus, non peccauimus &c. Igitur nostra obedientia nunquam Deo satisfacit, sed semper oportet nos respicere in unicum mediatorem nostrum, & serio agnoscere, & fateri nos esse miserrimos peccatores.

IIII. Nullum penitus esse potest nostrum meritum,

ritum, nam etiamsi omnia faceremus, tamen tantum id, ad quod alioqui obligati sumus, faceremus, & nihil mereremur teste Christo, Lucæ 17. Etiam cum omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus. Item dicit Christus nos esse debitores, qui soluendo non sunt, Matth. 18. Lucæ 7. & in oratione dominica. Quod si ne debitum quidem persoluere possumus, quin potius quotidie illud augemus, quomodo igitur aliquid insuper lucrabimur, aut promerebimur?

V Paulus clare dicit 1. Cor. 4. nihil mihi conscius sum, attamen in hoc nõ sum iustificatus, id est, quanquam non sum mihi ullius sceleris conscius, tamen propterea non sum absolutus coram Deo, sed cogor gratuitam misericordiam per Christum implorare. Et Philip. 3. dicit se omnem suam iusticiam iudicare esse reiectamenta, ut modo iusticiam Christi consequatur.

VI. Esai. cap. 64. pronunciat omnes iusticias nostras esse, sicut pannum menstruatæ. Et cap. 40. omnem sanctitatem nostram esse, sicut est flos agri, id est, rem euanidam, sicut ipse interpretatur.

VII. Paulus Roma. 9. affirmat æternam salutem esse non currentis ac uolentis, sed misereutis

Dei,

Dei, id est, pendere nostram salutem ex mera misericordia Dei, & gratuita peccatorum remissione et non ex nostris meritis.

VIII. Paulus Rom. 4. dicit iusticiam Christianam esse iustificari, seu absolui impium per fidem sine merito operum. Psal. 32. & 85. clare dicit acceptationem, qua sancti fœlices fiunt, esse remitti eis peccata, contegi eorum peccata, non imputari eis peccata. Et sic sæpe alias iusticia nostra per remissionem peccatorum describitur, ut Coloss. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum. Vbi appositio remissio peccatorum declarat quid sit redemptio. Sic & 2. Corinth. 5. reconciliationem mundi cum Deo dicit esse non imputari peccata. Item Esai. 33. 53. Iere. 31. Michææ 7. Psal. 99. Describitur etiam per non recordari peccatorum ut Esa. 43. Iere. 18.

IX. Ista dictio הצדיק iustificare & iustificatio plane nihil aliud significant in sacris literis, nisi absoluere, nec significat qualitatem iusticiæ alicui donare, aut infundere, quod etsi adeo uerum & notum est, ut probatione non indigeat, tamen uolumus hoc paulo prolixius probare, quandoquidem audent

Quod hizdik tantũ absoluere significet.

audent iam aduersarij nostri tam impudenter istud uerbum peruertere, transferendo ab absoluere (quæ est eius propria significatio) ad iustum datis qualitatibus facere.

Significat igitur in prima coniugatione צָדַק iustum esse, ut Psal 143. non erit iustus in conspectu tuo omnis uiuens. Et Psal 19. iusta sunt omnia mandata tua. In tertia uero cõiugatione alteri eam qualitatem uerbis & assceueratione sua tribuere, quod idem est, ac absoluere, qualis immutatio significationis fit & in רָשַׁע impius fuit הִרְשִׁיעַ condemnauit, & in alijs multis eiusmodi uerbis, quod superius regula data declarauimus, ac probauimus, cum de hæemin diceremus.

Significat igitur hoc uerbum proprie absoluere. Est enim uox forensis, quod plurimis testimonijs probari potest, Prouerb. 17. מַצְדִּיק qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominatio est uterq; coram Domino. Item Esaiæ. 5. uæ ijs qui iustificant impium propter munus, id est, absoluunt impium, Deut. 25. Cum erit lis inter homines, accedent ad iudicium, & iudicabunt eos, & hazdikũ

diku iustificabunt iustum, & impiabunt impium. Esai. 50. prope est mazdiki qui me iustificat, quis litigabit mecum? stemus simul, quis est qui habet causam mecum? accedat huc, ecce dominus est adiutor meus, quis est is, qui me condemnabit? 1. Reg. 8 iustifices iustum. Sunt & alia exempla, sed ex his de eius significatione iudicari potest. Nullus certe locus proferri poterit ubi הצדיק significet datis qualitatibus iustum facere.

Porro græcum δικαιόω in nouo Test. (Nam in prophanis authoribus habet significationem ab hac nonnihil diuersam) imitatur hebræi uerbi naturam, ut Rom. 8. Deus est, qui iustificat, quis est, qui condemnat? Item Lucæ 10. Ille uero uolens seipsum iustificare &c. & uos estis, qui uos iustificatis coram hominibus. Et Lucæ 7. Totus populus, cum audiuisset, ac etiam publicani iustificauerunt Deum, id est, iustum esse pronunciauerunt, dederunt ei gloriam iusticiæ. Gala. 3. Quod uero per legem nemo iustificetur apud Deum &c. hic quoq; iustificetur pro absoluatur accipitur, quod ex adiuncto apud uel coram Deo apparet, 1. Corinth. 4. nihil mihi conscius sum, attamen per hoc non sum iustificatus. Sunt plura huius significationis testimo-

Quod δικαιόω tantum absolutam, uere significet.

nia, nos enim iam tantum clariora eit animus.

Cum autem sit pestilentissimus error transferre nostram iustificationem à merito Christi ad nostrum, cauendum est sedulo, ne aduersarij in huius uerbi deprauatione fundamenta tanti erroris iaciant, dum uolunt הצדיק δικαιόω significare, non absoluere, sed iustum datis qualitatibus facere. Nec alia quidem uerba, quibus nostra iustificatio in sacris literis indicatur, ut נפר טלה נשא qualitates infundere significant. Aequissimam autem est, ut uerba, præsertim in sacris literis, sic intelligantur, sicut est genuina ipsorum significatio, & non ut deprauatores uolunt.

X. Christus & Paulus doctrinam de NOLI amplius peccare distincte separant à iustificatione, eamq; post iustificationem iam iustificatis tradunt. Ephe. 2. clare dicit, nos iam gratis iustificatos & Deo acceptos ad bona opera conditos esse. Igitur & res penitus sunt distinguendæ, nouaq; obedientia effectus iustificationis, & non causa est.

XI. Paulus dicit Roma. 4. ueram fidem esse credere in spem præter spem, quod non solum de corporalibus bonis intelligendum est, ut quod cum marsupium

quotidianum est nacuum, Deus dabit panem quotidianum, sed etiam uel maxime de spiritualibus. Igitur debemus credere, quòd nobis indignissimis Deus propter Christum secundum sua promissa uelit esse misericors, atq; hac fide dicit Paulus uere Deum glorificari. Igitur sic sentiendum est de iustificatione, & ideo sit gratuita, ut præter omnia nostra merita, immo uero contra nostra merita, quæ sunt plenaq; malis, propter unicum Christi meritum iustificemur.

XII. Affirmat clare Paulus nos gratis, id est, gratuito Dei fauore saluari & iustificari, & plane utrunq; donum Dei esse, Ro. 3. Ephe. 2. Igitur iustitia nostra nulla ex parte nostris meritis perficitur.

XIII. Paulus Rom. 9. 10. Philip. 3. & aliâs clare distinguit iusticiam Dei à nostra, iusticiã fidei à iusticia operum seu meriti nostri, nec dubium est, quin toto genere sint diuersa, mendicando aliquid acquirere aut uero ex merito seu debito. Igitur illa Dei gratuita iusticia, quæ per fidem contingit, est separatim integrum ac perfectum quiddam, Ac quoniam ibi insuper docet Paulus, quòd, qui per propria merita iustificari uult, is alteram illam gratuitam Dei iusticiam, quæ contingit per fidem, assequi nõ possit. Igitur omnes pij debent se totos reijcere in

illam gratuitam iusticiã, ac toti inde pendere, istam uero operum putare damnum ac reiectamenta esse, ut modo illam Christi assequi possint, sicut Paulus de se loquitur.

XIIII. Paul. undecimo ad Romanos in uerbis, Quod si per gratiam &c. non solum distinguit, sed etiam mutuam opponit iusticiam operum, seu meriti, & iusticiam gratiæ, tanquam omnino contraria, sicq; mutuo destructiua. Sic enim argumentatur. Si ex gratia saluamur, Igitur non ex operibus. Nam ubi sunt opera seu meritum, ibi non est gratuitum. Aut si ex meritis nostris saluamur, Ergo non gratuito. Nam ubi est gratuitum, ibi non potest esse meritum seu debitum. Sunt igitur istæ duæ iusticiæ adeo diuersæ, ut sint etiam contrariæ.

XV. Christus docet iustificationem & salutem nostram similimam esse conuiuio, ad quod ultro à patrefamiliâs etiam indignissimi gratis non solum accersuntur, uerum etiam compelluntur, in quo iam sint omnia paratissima, tantumq; hoc præterea requiratur, ut nos inuitati læti, ac cum gratiarum actione accurramus, fruamurq; paratis dapibus cum ueneratione Domini, & dilectione conuiuarum nobiscum

liscum conuiuantium. Sed diximus de hac similitudine prius.

XVI. Ioannes docet per fidem fieri filios Dei penitentes, si igitur statim cum vere credimus, filij Dei sumus & Deo acceptißimi. Igitur tanti momenti est fides Christi propiciatio, ut sola ad plenum salutem, sicut inquit epistola ad Hebræos.

XVII. Planc necesse est distinguere legem & Euangelium. Lex perfecte obedienti pollicetur iusticiam & uitam, Sed Euangelium tantum flagitat, ut credamus Dominum Iesum pro nobis passum esse & resurrexisse, Romanos 10. Gala. 3. atq; hoc modo credentibus salutem penitus gratuitam offert. Quare, cum quoquo modo nostra opera ac merita cum gratuita Christi iustificatione miscemus, re uera statim legem ac Euangelium confundimus, quod est ipsißima pernicies Christianæ pietatis.

XVIII. Sæpe repetit scriptura nos fide iustificari. Est autem fide iustificari (ut abunde in præcedentibus probatū est) idem, quod precario iustificari. Igitur nullo nostro merito iustificamur.

XIX. Vnicus est noster propiciator teste scri-

ptura apud Deum, Dominus Iesus. Igitur opera nostra non sunt nostri propiciatores. Et unicus est noster saluator. Igitur opera non sunt nostri saluatores, & soli Christo salus nostra in solidū transcribenda.

Prolixior descriptio formæ iustificationis, quomodo ea corā Deo peragatur.

XX. BREVITER, iustificatio omnium piorum planè sic se habet, ueluti si multi facinorosi ad regem quempiam capti adducantur, qui, etiamsi alius alio est sceleratior, omnes tamen sunt supremo supplicio dignissimi. Ii cum omnes accusentur, ac condemnentur, alij eorum implorant misericordiam per filium regis, qui uult patri pro illis satisfacere, atq; hoc modo absoluuntur, & à supplicio liberantur. Alij uero, qui illud auxilium negligunt, condemnati ac statim, aut paulo post ad pœnas abducuntur.

Omnes homines ueluti facinorosi quidā ad tribunal Dei ducuntur.

Sic enim omnes homines quotidie coram tribunali Dei sistuntur, quod fit, cum quia peruersum legis ira Dei de cœlo indesinenter reuelatur, tum etiam quia prouidentia Dei est perpetua, & quotidie Dominus iudicat, ac explorat corda & renes, ut affirmatur Psalm. 7. & quemadmodum est Prouer. 15. In omni loco oculi Domini intuentur bonos & malos. Omnesq; coram illo tribunali homines, accusante & conuincente eos Mose seu lege

Dei,

Dei, propriæ conſcientiæ chirographo, & ſatanæ, extremo ſupplicio dignißimi deprehenduntur, & ante regenerationem & poſt regenerationẽ. Nam non eſt coram Deo quiſpiam uiuens iuſtus (ſcilicet propria iuſticia) teſte Pſalm. 143. quod & ſuperius probauimus in argumento tertio, ac alibi in hoc ſcripto.

Quirei uolent abſolui, ad Chriſti patrocinium cõfugiant.

Omnes igitur, qui uolunt ab ira Dei ac pœna iuſtißima liberari, debent unicum ſeruatorem filium Dei in hoc eis à patre datum, ardenter compellare, fatendo ſe eſſe miſerrimos peccatores, & eius auxilium ſupplicíter implorando. Is enim cum ad dextrã patris ſedeat perpetuus eccleſiæ ſuæ aduocatus, pro iis, qui ad ipſum confugiunt, interpellat ſtatim patrem in hanc ſententiam.

Oratio Chriſti ad patrẽ pro reis credẽtibus. Philip. 2.

O pater iuſte ac miſericors, tu adeo dilexiſti mundum, ut me unicum filium tradideris in acerbißimam mortem, ut omnis, qui crediderit in me, teq; per me inuocauerit, non pereat, ſed uitam æternam habeat. Egoque tuæ uoluntati libenter parens, uolens eximaniui meipſum formam ſerui accipiens, fuiq́ue tibi per omnia obediens uſque ad mortem crucis longe ignominioſißimam, in me ô pater feciſti incurrere peccata totius mundi,

mundi, meo liuore, meisq; plagis fide meritum meum apprehendentes, teq; in meo nomine inuocantes sanari, meoq; sanguine ablui uoluisti Quoniam igitur optime pater uoluisti me esse maledictum legis, ut omnes uere credentes à maledicto legis liberarentur, obsecro istos tibi iam per me supplices à maledicto legis absoluas, obsecra pater הרויקם iustifica eos, absolue eos ob noticiam mei. Ego enim iniquitates eorum tuli, ob peccata eorum percussus sum, & contusus ob eorum iniquitates, noli eos condemnare cum incredulis, meritum ac intercessionem meam negligentibus.

Gala. 3.

Esaiæ 53.

Pater à filio placatus reos credentes iustificat.

Pater subito ac sine ulla contradictione filio assentitur. Quare statim isti miseri rei, qui ad hunc mediatorem confugerunt, gratia seu gratuito fauore Dei & beneficio ac intercessione huius seruatoris filij Dei, non solum iustificantur, seu absoluuntur à culpa & pœna, ac ex numero in æternas pœnas abducendorum segregantur, sed etiam ingentibus muneribus ornantur, Spiritu sancto, uarijs eius donis & uirtutibus, perpetua defensione contra diabolum & mundum, ac uita æterna. Nec sunt hæc munera ipsa iustificatio seu absolutio, sed iustificationem comitantur. Iustificari est proprie illud absolui

solui ac liberari à culpa & pœna, qua iam eras oppressus, munera uero illa amplissima iam iustificatis donantur.

Nec semel tantum in uita, in anno, in mense, aut in hebdomada, aut etiam in die istud iudicium & ista iustificatio piorum peragitur. Sed subinde iterum atq; iterũ repetitur, Subinde est, quod in nobis Deus damnationc dignissimum esse iudicet, Ideoq; & instituit Dominus Iesus illam perpetuam flagitationem, remitte, remitte debita, quod plane idem est, ac si diceretur iustifica, iustifica nos, seu absolue, absolue nos, Idem uult & Dauid petens se subinde amplius lauari & mundari. Ideoq; etiam filius Dei sine intermissione interpellat pro nobis, ideo quoq; præcipue (ut Paulus præcipit) sine intermissione orandum est. Ob hanc quoq; causam Deus inde à condito orbe terrarum instituit prædicationem Euangelij sine intermissione pœnitentes ac credentes publice & priuatim absoluentem. Atq; hæc perpetua iustificatio pulchre conuenit cum illa continua fidei reuolutione de qua superius dictum est.

Iustificatio subinde iteratur.

Qui uero salutem hoc modo non quærunt, uel statim, uel paulo post ad æternum supplicium rapiuntur,

untur, quid non est aliud nomen sub cœlo &c. Nulla est penitus alia uia, qua æternas pœnas effugere, Deo placere, & in regnum cœlorum peruenire queamus.

Hic si quæratur, quid sit iusticia eorum, qui saluantur, non uideo, quid aliud omnino dici possit, quam illa gratuita absolutio & acceptatio, propter meritum & intercessionem Christi, credentibus contingens. Verissimum sane est, quòd pij habent longe minus peccatorum, quam non renati, tantum tamen semper habent, ut sint condemnatione dignissimi, nisi eis debita gratis ob Christum remittantur. Quare merito omnes sancti sine intermissione orare debent, remitte, remitte nobis debita nostra, ut etiam Dauid Psal. 32. testatur.

Confirmatur prolixior descriptio iustificationis.

Hæc iustificationis pictura, non est nostrum figmentum, sed rei ipsius ueritas plane se ita habet. Nam uerissimum est Deum semper iudicare, semper alios absoluere & alios condemnare, ut superius probauimus, etiamsi publica sententiæ declaratio & executio in aliud tempus differatur. Certissimum etiam est Christum aduocatum nostrum sine intermissione pro uere in ipsum credentibus interpellare

ut Heb.

ad Hebr. 7. & Esai. 53. legitur. Verissimum quoq; est omnes pios habere peccata, ac eos oportere subinde accedere istum suum aduocatum, quem apud Deum habent. Constat .n. id ex 1. Ioan. 1. 2. & oratione dominica, in qua hanc ipsam iustificationem perpetuo per Christum supplices flagitamus. Verissimum etiam est pios absolui coram isto Dei tribunali iuxta illud Pauli Roma. 8. Nulla iam est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Iesu, &, Deus est qui nos iustificat, quis est qui condemnat? Suffragatur huic iustificationis expositioni & ipsum uerbum צדיק δικαιοῦν iustificare, quod est apud Hebreos uerbum forense, ac proprie significat iustum pronunciare, absoluere, ut Roma. 8. Deus est qui nos iustificat, quis est qui nos condemnat? Sed de hac uoce iam dictum est, Huc etiã spectat partitale (coram Deo) nam & illa indicat iustificationem nostram sic coram Deo peragi, ueluti coram iudice quodam.

Ac omnino unusquisq; orans sic debet orare, ut primum cogitet se accedere iusti Dei tribunal, ignis omnia consumentis, coram quo nec ueli

Quis orantium sensus ac animus esse debeat.

cœli nec angeli (sicut Iob 4. & 25. scriptum est) satis mundi sint, multo minus ipse miserrimus peccator.

Deinde debet etiam certo statuere, se ibi apud istum tantum Deum habere quendam talem ac tantum aduocatum, propiciatorem, ac mediatorem, quo intercedente ausit istum ipsum tremendum Deum suum patrem appellare, Ac oportet eum interea dum & fateri se esse miserrimum peccatorem, & flagitare, ut iste eius patronus ita illam ipsius grauissimam peccatorum sarcinam in se transferre velit, ac ita ipsum apud illum omnipotentem Dominum commendare, ut ipse tanquam purissimus & innocentissimus coram eo subsistere possit.

Statuere igitur orantem oportet id proprie suam coram Deo iusticiam esse, eoq; solo se poenas æternas effugisse, & æternam uitam aliaq; bona eo sequutum esse, quod ille agnus Dei eius crimina de eo auferat, ac in se transferat, quodq; filius apud patrem pro eo supplex intercedat, ac suis eum meritis uestiat, ornetq;, atq; hæc oportet eiusmodi orationis esse præcipuam partem, quicquid demum præterea addatur.

In hac

In hac iustificationis pictura clarissime & verissime cerni potest, quid sit iusticia piorum, nempe illa gratuita iustificatio, absolutio & acceptatio, & quòd non sit qualitatum nouarum acceptio, uel infusio, etiamsi dona & qualitates iam iustificatis dentur, & subinde in singulis iustificationibus augeantur.

Potest quoq; in hac iustificationis pictura (ut & hoc obiter moneam) clare cerni, quid sit uera & salutaris fides, nempe illud non solum audire, & uti cunq; credere Deo denuncianti, se uelle esse misericordem, ac parcere omnibus illis reis, qui per filium misericordiam eius implorauerint, sed etiam ex animo optare, ut sibi illud tantum bonum contingat, supplicer orare, ac obtestari, ut quamprimum se illa tanta felicitate iste Dominus beet, & inter flagitandum, cum audiat eum affirmare, quòd uelit misericors esse istis per filium iustificationem seu absolutionẽ postulantibus, certo assentiri illi uoci, fidere isto tam benigno Deo iam nostro patre facto, ac ob acquisitum tantum bonum letari.

Hic simul & perspicuum admodum fit, quid sit per fidem iustificari, nempe per illam supplicem ac

mendicam flagitationem à culpa, qua eras oppressus, & imminenti pœna gratis absolui, & liberari, ac ueluti ex patibulo, in quo eras iam iam suspendendus, dimitti.

Sed ut melius quid sit iustificatio intelligi possit, sistatur coram iudicio Dei S. Paulus iam renatus & Nero, inuenietur uterq; peccator, uterq; æterno exitio dignissimus. Verissimum quidem est Neronem millecuplo plus peccasse quàm Paulum, sed tamen Paulus quoq; habet tantum peccatorum, ut si gratuitam absolutionem per Christum à Deo non flagitarit, siq; Dominus iniquitates eius obseruare uoluerit omnino sustinere non possit, sed ei percundum sit. Habet quidem Paulus præclaras uirtutes & opera, uerum per ea (ut ipse fatetur) non est iustificatus, seu absolutus. Non sunt talia & tanta opera Pauli, ut ob ea à Deo iustissimo iudice iustificari, seu absolui queat, sed omnino est æternis pœnis dignissimus, multo uero minus poterit per illa sua merita præter absolutionem etiam Spiritum sanctum, adoptionem & æternam uitam promereri. Habitat enim adhuc peccatum in Paulo, ac uidet ipse aliam legem in membris suis captiuantem ipsum, ne faciat bonum, quod uult, sed malum, quod non uult. Carnalis ad-

lis adhuc est, ac sub peccatum uenditus, & adhuc tantum primitias Spiritus accepit.

Quid igitur est, quo Paulus & æternas pœnas effugere, & insuper regni cœlorum hæreditatem aliaque bona consequi potest? Nihil aliud profecto, teste tota scriptura, quàm CHRISTI meritum, iuxta illud Esaiæ, uulnere eius sanati sumus, & sicut ipse Paulus inquit ad Romanos octauo, quod lex efficere non potuit (ut scilicet iustificaret & saluaret nos) quatenus erat imbecilla per carnem (quia scilicet ei caro satisfacere non potuit) Deus misso proprio filio hoc effecit &c. Eodem modo si quæratur, quare Nero pereat, cum Paulus saluus fiat, & sit uterque peccator? nihil aliud responderi potest (quod quidem uerum sit) quàm quia beneficium Christi fide non apprehendit, ac ob illius interceßionem gratis non iustificatur, seu absoluitur, nec gratis uelut ex patibulo dimittitur.

Quid igitur efficiunt opera Pauli (dicat aliquis) quæ ipse habuit multa, Nero nulla, Si cum coram Deo non iustificant? Respondimus

quidem superius, sed tamen respondebimus & hic iterum breuiter. Hoc efficit Paulus per suam obedientiam, ut quanto magis obediat Deo, tanto minus sit dignus æterno exitio, nunquam tamen in hac uita tam perfecte obediet, ut in Dei iudicio non sit æternis pœnis dignissimus.

Ex his argumentis credo cuiq; recte iudicanti satis certo constare posse ueram iusticiã nostram, qua coram Deo ualemus ac subsistere possumus, nihil aliud esse, nisi gratuitam Dei acceptationem propter Christum per fidem, eamq; nullo modo cum nostris meritis confundendam esse, multo minus in nostra merita transferendam.

HIC FORTE etiam de dictis sacrarũ literarum gratuitæ iustificationi (ut aduersarij uolunt) contrarijs aliquid dicendum esset. Sed sunt hæc à præceptoribus nostris prolixe explicata, dicam tamen, quam breuissime potero, ac de quibusdam tantum, non de omnibus.

Primum quod de mercedis & retributionis uoce ac similibus clamant aduersarij, sciant hæc sermonis hebraici consuetudine latius extendi, quam uulgo existimatur. Sæpe enim simpliciter significat rem datam, siue gratis siue quoquo modo obtingat, ut Esai.

et Esa. 40. Merces & præmium pro gratuitis Christi beneficijs ponitur. Sic & Esai. 62.

Recte quoq; respondetur hæreditatis similitudine, quæ dici posset ampla merces laborum filij, & tamen ei gratuito contingit. Nam seruo, qui longe plus laborauit, simile præmium contingere non potest.

Sic & retribuere ac retributio sæpe simpliciter pro beneficio ponitur, ut Psal. 116. Quid reddam Domino pro omnibus retributionibus eius. Et Psal. 103. noli obliuisci omnium retributionum eius, id est, beneficiorum. Talis & illa locutio est Esaiæ 40. Suscepit duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis, quod dicit propheta non de merita pœna, sed de gratuito beneficio contra omne meritum dato.

Deinde locus Lucæ 7. propterea dico tibi, remissa ei esse peccata multa, quia dilexit multum, sic uerissime & clarissime explicari potest. Christus ibi non hoc agit, ut doceat pharisæum, quæ sit causa efficiens remissionis peccatorum eius peccatricis, seu quomodo ea iustificacionē nacta sit, sed uult tantum probare eam iam habere remissionem peccatorum, Deo acceptam esse, ac ipso pharisæo iustiorem, quo Domini.

Locus Lucæ 7. aduersarijs penitus extortus.

Scopus uerborum

quo confutet cogitationes phariſei, qui cogitabat, ſi hic eſſet propheta ſciret profecto hanc mulierem eſſe peccatricem, nec pateretur ſe ab ea attingi. Ac ſimul cogitabat ſe multis modis illa muliere ſanctiorem eſſe, ſtomachabaturq;, quod Chriſtus ita ſaniliariter ac blande ageret cum illa peccatrice, & interea eſſet erga ipſum (uirum nempe ſanctiſſimum) auſterior. Hoc ibi agi dubium non eſt. Igitur particula ὅτι, quia, nõ indicat cauſam rei, ſed tantum precedentem affirmationem Chriſti Dico tibi &c. eſſe uerã. Et tota illa ſententiola Nã dilexit multũ, nihil aliud eſt niſi confirmatio præcedentis propoſitionis.

Probatio, nam dilexit, ab effectu iuſtificationis et non à cauſa ſumpta eſt.

Vnde autem petita ſit iſta confirmatio, facile eſt ex præcedentibus & ſequentibus animaduertere, quod nempe ſit ſumpta ab effectu. Probat enim Chriſtus ab effectu, id eſt, dilectione, præceſſiſſe iam cauſam dilectionis, id eſt, magnum beneficium remiſſionis peccatorum, quod ex ſequentibus præcedentibuſq; animaduerti poteſt, ut iam dictum eſt. Nam et in præcedentibus clarè affirmat Chriſtus remiſſionem debiti eſſe cauſam dilectionis, & ſtatim ſubiungit, cui autem parum remittitur parum diligit. Cum igitur & præcedentia & ſequentia doceant dilectionem eſſe effectum remiſſionis peccatorum, non du-

bito,

hito, quin & in hac sententia Christus ita locutus sit, neq; enim non cohærentia locutus est, multo minus contradictoria.

Quo aũt aliquanto clarius probemus hunc esse huius sensum, quasdam uoces declarabimus, quæ à multis non satis recte in hoc textu accipiuntur. Primum particula ὅτι multas habet apud græcos significationes, nos iam hic tantum de duabus dicemus, quas & latinũ, quia, significat, & de quibus dubitatur in hoc loco, utrum illarũ τὸ ὅτι significet. Significat igitur ὅτι, id est, quia, aliâs idem quod propter, uel germanicum Darumb, ut cum dicimus Ciceronem factum esse doctum, quia diligenter studuerit, quia ingenio ualuerit, quia habuerit eruditos præceptores. Deum nobis remittere peccata, quia sit misericors, qa Christus pro nobis satisfecerit. In his exemplis nihil cõfirmandũ proponitur, nec per quia ratio assertæ propositiõis indicatur. Sed tantũ causa efficiens ostenditur eius rei, quæ iam tanq; nota sumpta est. Nõ dubitatur quin Cicero sit doctus, hocq; tanquam notum assumitur, per quia igitur nõ probatur hic, quod sit doctus, sed eruditionis causæ efficientes ostenduntur. Sic dicimus aliquem ægrotare, quia intemperanter uixerit, aut quia natura sit ualetudinarius.

De significationibus particulæ ὅτι, quia.

Ciceronem interfectum esse, quia in Antonium inuectiuas scripserit. Cæsarem esse interfectum, quia rempub. opprcsserit. Vbi particula, quia, tantum causam rei indicat, & non adfert demonstrationem præcedentis assertionis. Atq; in hac significatione putant papistæ in hoc loco Lucæ τὸ ὅτι, quia, accipiendum esse.

Aliàs uero significat idem quod nam & germanicum, denn/ ut si dicam, Cicero est doctus, quia erudite scribit. Cicero est interfectus, quia caput eius est Romam allatum. Ciceronem fuisse natura mitem, quia hoc actiones & scripta eius testantur. Cæsarem fuisse clementem, quia suis maximis inimicis benigne pepercit. Hic (quia) non indicat causam rei, sed præcedentis assertionis probationem annectit. In his omnibus exemplis, pro quia, etiam ὅτι poni potest, & ualet idem quod germanicum, denn.

Quid ὅτι quia, in loco Lucæ significet.

His duabus significationibus ita distinctis, affirmamus in hoc loco ὅτι seu quia idem significare, quod nam uel denn/ & nõ indicare causam efficientẽ rei, sed annectere probationem præcedentis assertionis, affirmo (Nam λέγω sæpe in nouo testamento significat affirmo) huic mulieri remissa esse peccata.

Nec

Nec potest hæc locutio resolui in hanc, remissa sunt huic mulieri peccata propter dilectionem, nec etiam potest dici, quòd sit quidem ratio præcedentis propositionis, sed tamen sumpta à causa efficiente. Nam primum breuis dilectio nullo modo potest abolere tam longi temporis turpem uitam. Deinde quia hoc modo intellectus sermo Christi, pugnaret cum præcedentibus & sequentibus, in quibus asserit Christus dilectionem esse effectum remissionis peccatorum, & causam remissionis esse fidem.

Est igitur, ὅτι quia, in hoc loco redditiua rationis, Sumpta autem est ratio uel demonstratio hæc ab effectu, sicut antea ostendimus, & postea quoq; probabimus. Nec dubito quin recte ac grammatice dici possit, Aio hunc cõualuisse, ὅτι qui ambulat, quia rubet, quia robustus est. Ac quo adhuc certius ostendamus hanc esse loci sententiam, et τὸ ὅτι significationem, uolumus aliud similimum exemplum adscribere. 1. Ioan. 3. sic legitur, nos scimus, q. transiuimus ex morte ad uitam, ὅτι quia diligimus fratres. Vbi nullo modo dicit Ioannes causam efficientem nostri transitus à morte ad uitam esse dilectionem, quod cap. 5 sui Euangelij fidei tribuit, cum inquit

Testimonia de significatione ὅτι, quia.

inquit, qui credit transiuit à morte ad uitam. Sed quòd sit certum argumentum seu indicium huius nostræ transitionis uel salutis ab effectu sumptum. Itaq; sicut hic ὅτι non docet causam efficientem nostri transitus à morte ad uitam, sed ἀποδείκνυ τὸ οἴδαμεν affert, sic in loco Lucæ nō exponit quæ sit causa efficiens remissionis peccatorum, sed demonstratiōem τὸ λέγω σοι annectit. Talis significatio τοῦ ὅτι est etiam in his exemplis eodem capite. In hoc cognouimus charitatem Dei erga nos, ὅτι quoniã ille animam suam pro nobis posuit. Itẽ cap. 4 In hoc cognoscimus quòd in eo manemus, ὅτι quoniã de spiritu suo dedit nobis. Possunt & alia multa similia exempla reperiri. Quare uitandæ ambiguitatis gratia τὸ ὅτι semper in eiusmodi locis per nam reddendũ esset sicut germanica uersio uertit per denn.

Obseruanda cohærentia uerborum.

Deinde obseruandum in hoc loco est, quòd hæc omnia, Dico tibi remissa sunt, perinde inter se cohæreant, ac si diceretur. Aio ei remissa esse peccata multa, uel affirmo, quòd ei sint remissa peccata multa. Est autem hebraismus, quòd in medio coniunctio כִּי, ὅτι, quòd, deficit, quod in latina ac græca lingua non perinde usitatum est. Quare ferendum non est, ut textus citetur mutilate, remittuntur ei

tur ei peccata multa, q̃a dilexit multũ. Addenda enim semper sunt priora, Affirmo ei remissa esse peccata, ut clarius animaduertatur, q̃ sit quædã asseueratio, quæ post se probationem affirmationis requirat, & nõ sit simplex quædam causæ expositio, propter quã ea mulier remissionem peccatorum nacta sit.

Postremo remittuntur (ut uulgata uersio habet) quia est in præsenti, & dilexit in præterito, uidetur etiam patrocinari papistico errori. Nam non est possibile, ut causa efficiens suum effectũ sequatur. Cum igitur remittuntur sit in præsenti, & dilexit in præterito, cõcludunt, haud dubie dilectionem esse causam efficientẽ remissionis, remissionẽ uero effectũ. Quo igitur et hæc errandi occasio uitetur, sciẽdum est ἀφέωνται esse indicatiui præteritũ Atticũ, ut grammatici dicunt, uel Doricum potius ab actiuo ἀφέωκα teste Guarino, ac propterea in præterito uertendum esse remissa sunt, & nõ in præsenti uel etiam aut imperatiui remittantur, ut quædam recentiores uersiones habent. Nec mouebimur magnopere, si quis obijciat etiã dilexit esse in præterito. Nam etsi possemus & illud dicere, q̃ scilicet hebræi multũ utantur præterito etiã pro alijs tẽporibus, tamen satis nobis est, q̃ Christus in proxime præcedentibus clare indicat se de præsenti dilectione loqui.

ἀφέωνται cuius temporis & modi.

Sed

Sed age quo melius uis argumenti Christi intelligi poßit in ſyllogiſticam formam illud diducamus.

Maior. *Dilectio eſt effectus & ſignum beneficij remiſſi debiti, & maior dilectio maioris remiſſionis.*

Minor. *Hæc mulier diligit multum.*

Concluſio *Igitur affirmo huic mulieri eſſe remiſſa multa peccata.* Repetit Chriſtus minorem, ut ſuam concluſionem & affirmationem magis corroboret contra incredulum phariſæum. Nam dilexit multum.

Maiorem habet ex conceßione phariſei. Minorem probat enumeratione officiorum, quibus muliercula teſtabatur ſe diligere Ieſum. Repetit & maiori oppoſitam, quam itidem Iudæus conceſſerat. Cui autem parum remittitur parum diligit. Antea poſuerat minori oppoſitam, Tu parum diligis. Concluſio iam facile ſubintelligi poterat: Igitur tibi parum remiſſum eſt, & hæres adhuc in peccatis, eſſe longe iuſtior hac (ut tu eam appellas) peccatrice muliercula. Hinc ſi libet agnoſcas & me eſſe prophetam, & te eſſe miſerum peccatorem, & hanc mulierculam iam meo beneficio per fidem iuſtificatam eſſe.

Sunt

Sunt igitur hic duo syllogismi, alter quidem integer, quo probat Christus fœminam iam iustificatam esse, alter uero sine conclusione, quo demonstrat pharisæum non esse iustificatum, dat autem occasionem ipsi nasutulo pharisæo cogitandi, quid ex illis duabus (ut dialectici loquuntur) præmißis consequatur. Hæc quis non uidet aptißime cohærere, si hoc modo intelligantur, quod si aliter locum acceperimus erit pene infantilis balbuties. Nam maior ac minor cum conclusione & ratione conclusionis plane non conueniet.

Sic igitur hunc locum intelligo. Et huius explicationis habeo quinq; rationes firmißimas. Prima est scopus sermonis, quia non hoc agit Christus ibi, ut doceat pharisæum, quæ sit causa remißionis peccatorum, sed tantum ut coufutet eius falsas cogitationes, qui tamen uel maxime putabat dilectionem esse causam efficientem iusticiæ. Confirmatio explicationis loci Lucæ 7.

Secunda est totus contextus, qui indicat Christum ab effectu argumentari, & non à causa efficienti.

Tertia est ipsa natura sermonis, quia sermo quoq; ipse hanc sentenciam clare exprimit.

Quarta, quia plane firmiter probari potest, nouam obe-

uam obedientiam non causam efficientem, sed effectum acceptationis & reconciliationis esse, ut male arbor non potest bonos fructus facere. Item 1. Ioan. 2. omnis qui facit iusticiam ex Deo natus est. Item Gala. 5. In Christo Iesu ualet fides per dilectionem operans.

Postrema est, quòd Christus ipse affirmat hanc mulierem fide saluatam & iustificatam esse, quod si uerum est, alterum erit falsum, quòd scilicet per dilectionem sit iustificata, nam hæc duo ita sunt contraria, sicut merito aliquid acquirere & precario, debitum & gratuitum.

Respondetur ad locum remitte & remittentur. 2. Rhet. 24.

Tertio quod ad dictum remittite & remittentur uobis ac similia dicta attinent, sciendum est, quod non quia aliquid sit cum aliquo, seu post aliquid, ideo etiam est propter illud, seu quod id, quod antecedit, non semper est causa efficiens consequentis aut coniuncti, sicut imperiti teste Aristotele perperam ratiocinantur, id est, etiamsi nostram remissionem & pœnitentiam necesse sit præcedere iustificationi ac remissioni peccatorum, non tamen propterea nostra remissio uel pœnitentia est causa efficiens aut meritum nostræ iusticiæ. Sed nostra pœnitentia est quædam remotio obstaculi, impœnitentia enim est

quoddam

quoddam obstaculum remissionis peccatorum & iustificationis, quanquam hæc ipsa obstaculi amotio est singulare Dei beneficium iuxta illud, Conuerte nos & conuertemur Tren. 5.

Quod autem non indicetur meritum per illu locutiones, probari potest ex alijs similibus, ut petite & accipietis, pulsate & aperietur, ubi non hoc dicit Christus tantum esse meritum nostræ mendicæ petitionis ac pulsationis, ut mereamur per eã accipere quæ uelimus. Sed docet tantam esse Dei misericordiam, ut uelit nobis omnia bona dare, idem tamen uelit nostram petitionem ac pulsationem præcedere.

Proinde cum legimus eiusmodi locutiones, ubi primum præcedit aliquid de bonis operibus, posteà de remissione peccatorum, non statim dicamus illud præcedens esse meritum, aut causam efficientem huius posterioris, sed quoquo modo antecedere debere. Nam plerunq; illud prius est concio pœnitentiæ, hoc uero posterius promissio gratuitæ remissionis peccatorum. Nota.

Quarto possent procul dubio permulti loci, qui ab aduersarijs contra nos pro iusticia propriorum

Velamen legis detrahendum, si quis nulte clare Christum cernere.

orum meritorum citantur, explicari obseruata natura sermonis. Vt si obseruaremus totam legem talli quodã Mosi uelamine cõtectam esse, ut loquatur de re impossibili, id est, de legis impletione tanquam de re possibili, ac quæ usu ueuire possit. Vrget enim sua mandata, pollicetur q; & hic & in futuro uitam facientibus ea, nusquam autem dicit, agnoscitu miserrime homuncio, te mandatis diuinis nullo modo satisfacere, ac ne posse quidem satisfacere, teq; propterea habere Deum iratum, & condemnationis eternæ reum esse, qui tamen est sensus ac scopus totius legis teste Paulo, qui hac interpretatione illud uelamen ex facie Mosi detrahit.

Hanc, inquam, regulam si teneremus, atq; hoc modo cum Paulo hanc quasi laruam Mosi detrahere disceremus, nihil ut opinor admodum nos turbarent dicta illa ab aduersarijs contra gratuitam iustitiam citata Roma. 2. Non enim auditores legis sed factores iustificabuntur. Item Matth. 19. Si uis in uitam ingredi serua mandata. Christus enim ibi prædicat legem illi non contrito, qui putabat se quoq; bonum esse, & legi Dei satisfacere, ac recte facit Christus, quòd non uult proijcere margaritas ante porcos, in-

contrito

contrito illi per suam passionem pollicendo, Nam praedicare incontritis siue Epicureis siue hypocritis remissionem peccatorum, est idem ac proijcere margaritas ante porcos. Hac eadem ratione & alia multa dicta uere exponi possent.

Quinto, opera & operari etiam fidem gratuiti beneficium Christi accipientem saepe significat, ut Ioan. 6. dicunt Iudaei Christo quid facimus, ut operemur opera Dei? Respondet Iesus & dicit eis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ipse. Hic opera dicuntur ipsa agnitio & acceptatio gratuiti beneficij Christi, quo modo si intelligatur haec uox, recte dici potest, quod per hoc opus salucmur, non quia huius operis tanta sit praestantia & tantum meritum, sed quia hoc instrumento gratuitum beneficium accipitur. Sic saepe aliàs uita piorum commendatur non ob propriam praestantiam, sed quia in ea est illud perpetuum inuocare Deum in die tribulationis, illa inquam perpetua mendicatio remissionis peccatorum, ac misericordiae Dei. Operari aliquando significat credere.

Sexto, quoniam magnopere inter nostras Ecclesias & aduersarios contenditur, quid nam phrasis Pauli

Quòd locutio opera legis Paulo omnia bona opera significet.

sis Pauli, opera legis, significet. Ideo breuiter iuuante Deo probabimus eam significare opera à tota lege mandata. Roma 3. inquit Paulus, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram eo. Nam per legem cognitio peccati. Hic facilimum est animaduertere de cuius legis operibus loquatur Paulus ex eo, quod additum est, per legem cognitio peccati, quod dictum necesse est intelligi de lege morali præcipue. Est enim sensus loci. Causa finalis legis est indicare peccatum & condemnare, non iustificare per opera. Quare hic locus clarè indicat, Paulo opera legis significare totius legis opera & præcipue moralis.

Roma. 7. perspicue ostendit Apostolus de qua lege doceat, quòd nos non iustificet, sed condemnet, cum inquit, Lex dicit non concupisces. Nempe de morali præcipue queritur, quòd ei nequit satisfacere, quòdq; per eam non iustificetur sed accusetur.

Clarissime ucro indicat quidnam per hanc exclusiuam (sine operibus legis) intelligat, cum alias pro ea his utitur, sine lege Rom. 3. non ex operibus Rom. 11. Ephe. 2. non ex operibus nostris 2. ad Timo. 1. Item, non ex nobis Ephe. 2. Interpretatur

tur quoq; hanc phrasin illa locutione iustificamur gratis Roma. 3. 4. 11. Item, cum inquit iustificari nos per gratiam.

Hæc argumenta clare indicant Paulo opera legis significare opera à tota lege, in primis autem à morali mandata. Quanquam si quis ad clarã Solis lucem cæcutire non uelit, cernat perpetuam esse Pauli sententiam, legem moralem non iustificare, sed accusare & condemnare. Solum uero Christi meritum fide apprehensum nos coram Deo iustificare seu absolnere. ac Deo acceptum facere.

Septimo, quoniam papistæ uehementer contendunt uocem Gratiam in Pauli locutionibus, Gratis saluamur, aut gratia iustificamur, significare uirtutes in nobis per Spiritum sanctum excitatas, atq; ita iusticiam & salutem, quæ sunt gratuita Christi beneficia, ad operum merita transferunt, ideo error hic cõfutandus est. Probabimus igitur ex ipso Paulo eam uocem in huiusmodi locutionibus nihil aliud nisi gratuitum Dei fauorem significare, Ephe. 2. inquit, Gratia estis seruati per fidem & hoc non ex nobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. In hoc loco luculentissime docet Paulus to-

tam rationem noſtræ ſalutis, cauſam eius efficientem facit gratiam, excludit opera, & omne omnino noſtrum meritum, Ipſam ſalutem (ſub qua uoce & iuſtificatio & regeneratio & uita æterna continetur) donum appellat, Cauſam inſtrumentalem per quam illud donum accipimus dicit eſſe fidem. Iam facile eſt animaduertere, ſi ſalus eſt donum, & gratia eſt cauſa doni, quid in talibus locutionibus (homines ſaluari gratia aut iuſtificari) Paulo dictio hæc ſignificet. Quæ enim alia poteſt eſſe cauſa doni ſyncere & non fucate donati, quàm fauor, beneuolentia ſeu uoluntas quædam ſtudioſa iuuandi quempiam: ut in patre filio aliquid donante, quæ eſt alia cauſa, quàm paternus ille amor? Sic & nos perditi filij dono ſalutis æternæ donamur à benigniſſimo patre non niſi propter eius gratiam, id eſt, ſummam ac plus quàm paternam erga nos beneuolentiam. Non eſſe autem gratiam noſtra opera ope Spiritus ſancti effecta, ex eo animaduerti poteſt, quod clare omnia opera noſtra, omne meritum ac plane totum hominem ex cauſa efficiente ſalutis Paulus his diſertis uerbis excludit, dicens, & hoc non ex uobis. Item, non ex operibus, ne quis glorietur.

Eodem modo Rom. 5. iuſticiam, qua credentes iuſti

tes iusti sunt, appellat donum, & hoc donum dicit contingere per gratiam, Si iusticia est donum, Igitur non est quiddam nostro labore acquisitum. Porro donatam hanc iusticiam dicit contingere per gratiam, Ostendimus autem paulo antea & res ipsa hoc indicat, doni syncere donati nullam posse aliam causam esse quam fauorem seu studiosam iuuandi uoluntatem.

Roma. 4. inquit, operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Vbi Apostolus facit duas causas efficientes dati alicuius boni, easq; inter se tanquam contrarias opponit, nempe debitum & gratiam. Abrahamo dicit per gratiam imputatam esse iusticiam & non propter debitum. Hic facile est uidere quid Paulo Gratia significet ex alterius contrarij cognitione, Aut enim ex debito datur aliquid alicui, aut ex gratuita quadam beneuolentia, nam hæ sunt duæ causæ, propter quas uulgo res quæpiam alteri traduntur ab altero. Talis istarum duarum causarum oppositio est & Roma. 11. Si ex gratia, iam non ex operibus, quandoquidem gratia iam non est gratia, Sin autem ex operibus, non amplius est gratia, quandoquidem opus non est opus, Vbi ita Paulus inter se

opponit opera seu meritum & gratiam, tanq̃ plane cõtraria, quæq; si uelis cõiungere, alterutrũ eorum necessario destruas, Non est igitur gratia idem quod opera uel uis operandi siue cum siue sine Spiritus sancti auxilio. Porro si hæ sunt duæ causæ, cur aliquid datur, nec contingit salus per opera & meritum, ut in hoc loco Paulus testatur. Igitur datur gratis ex optima ac summa Dei erga nos uoluntate. Igitur gratia cum à Paulo causa nostræ salutis ac iusticiæ esse dicitur, nihil est aliud quàm gratuitus fauor & beneuolentia plane paterna.

Ad Eph. 1. affirmat Apostolus nos habere remissionem peccatorum secundum opulentam gratiam Dei. Hic etiam perfacile est uidere, quid hæc uox significet Apostolo. Quæ enim potest alia causa esse remissi alicuius debiti, quàm fauor seu beneuola uoluntas creditoris erga debitorem.

Rom. 3. docet Apostolus peccatores gratis iustificari (id est, absolui) gratia ipsius Dei, propter redemptionẽ Christi. In hoc textu primũ hoc obseruetur, Si gratis absoluimur gratia Dei, Igitur gratia nã potest significare quicq̃ in quo sit aliquod nostrũ meritum uel minimũ, multo minus opera nostra ope Spiritus sancti facta. Deinde quoq; obseruetur & hoc, q̃ si nos impij existentes (ut 4. cap. huius epistolæ affirmat)

mat) gratis gratia Dei absoluimur, gratia nihil aliud est, ꝙ fauor. Quæ enim est causa quare iudex malefi cum hominẽ absoluit nisi beneuolentia & fauor iudicis reo illi conciliatus quoquo demũ modo, sicut et Christus testatur hanc esse causam nostræ salutis his uerbis. Adeo dilexit Deus mundũ, ut suum unigenitum filiũ tradiderit, ut omnis q̃ credit in eum nõ pereat, sed habeat uitã æternam. In eadẽ plane significatiõe hæc uox Lucæ 2. legitur, cum dicit, Christũ quotidie profeciſſe magis in sapientia, ætate & gratia apud Deũ et apud homines, id est, quotidie erat gratior magisq; fauorem Dei ac hominũ cõsequebatur.

Ex his tam multis tamq; perspicuis locis satis potest, ut arbitror, ab hominibus ueritatis amantibus deprehendi uera huius uocabuli apud Paulum significatio, in ciusmodi sentencijs cum dicit, Credentes gratia saluari aut iustificari, nempe q̃ nihil aliud significet q̃ ingentem illum Dei benignißimi patris erga nos perditos filios amorem ac fauorem Christi merito nobis conciliatum.

Possemus hanc Gratiæ significationem, et ex Hebræi חן significatiõe, pro quo Paulus uoce χάρις utitur, adeoq; pasim ex ueteri testamento firmiter probare. Sed nos iam breuitatis studio his Pauli ipsius testimonijs contenti esse uolumus.

Hebræa synecdoche.

Postremo esset etiam ad hanc rem perutilis aliqua bona cognitio synecdoches hebrææ. Nam hebræi permultum ponunt non solum fructus bonos & malos pro bona & mala arbore, sed etiam

Nota.

folia, sic nimirum per res notas ignotiora docendo, id est, non solum per bonas aut malas actiones seu opera notant interiorem pœnitentiam, aut impœnitentiam, sed etiam per externos gestus, ut lacerare uestes aut non, incuruatum incedere aut capite erecto & oculis sublimibus, iciunio se afflictare aut splendide uiuere.

Hanc igitur synecdochen si probe cognoscerę mus, facile animaduerteremus, cum propheta, Christus, & Apostoli bona opera commendant, eisq; salutem nostram tribuere uidentur, eos non operibus salutem tribuere, sed cordi contrito, & gratis fide remissionem peccatorum propter agnum Dei flagitanti, quæ uera cordis conuersio per hosce externos fructus cognoscitur, Ac non ponderemus summam pietatis in actionibus quibusdam aut quadam externa larua, cum ea proprie sit in illo perpetuo cordis inuocare in die tribulationis, id est, in illa mendicatione remissionis peccatorũ ac gratiæ Dei, ex qua mendicatione postea omnia bona opera tanquam

quam boni fructus ex bona arbore producuntur.

Sed cum loci, qui uidentur in speciem contradicere gratuitæ iustitiæ, sint diligenter à pijs, ac doctis uiris explicati, nec nostri instituti sit totam eam materiam hic pertractare, nos iam hanc partem disputationis omittemus, ac illud tantum monebimus, ut quoniam haud raro occurrunt dicta, uel propter breuitatem obscura, uel quia sermonis proprietas non à quouis animaduertitur, respiciamus potius ad eos scripturæ locos, ubi prolixe eædem res & ex professo tractantur, nec turbemur dictis illis aut ob breuitatem aut ob genus sermonis obscurioribus, præsertim cum hoc agant aduersarij, ut per obscuros locos conscientias turbent, destruant & non ædificent. Nam turbatæ sunt aptiores, quæ ipsorum hypocriticis cultibus, ueluti laqueis quibusdam capiantur & irretiantur. Epilogus confutationis.

Illud certe uerissimum est, Deum uelle, ut omnibus prædicetur pœnitentia, & remissio peccatorum, & conclusisse omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, id est, uelle ut omnes prosternant se coram maiestate ipsius, & fateantur se miserrimos peccatores esse, atq; ita per Christum ueniam peccatorum Omnes homines esse uere peccatores.

torum ſuorum conſequantur. Nec id ſolum ſemel in uita, ſed quandocunq; uolunt miſericordiam Dei implorare faciant, nec tantũ hypocritica humilitate ſe peccatores eſſe fateantur (qua etiamſi ore ſua peccata confitentur & inclinato capite incedunt, intus tamen habent cor inconfractum & incontritum, quod coram Deo de ſua ſanctitate tumens ſe erigit, ac ſuperbe oſtentat) ſed uera cordisconfeßione, ut Dauid Pſal. 32. teſtatur ſe nullã quietem habere potuiſſe, quamdiu non eſt faſſus ſe eſſe miſerum peccatorem, at quamprimum coram Deo ſerio faſſus eſt ſe eſſe peccatorem, remiſſa ſibi eſſe peccata.

Hoc idem & experientia in multis ſanctis uiris, ut Bernhardo & aliis comprobauit, qui cum toto uitæ tempore ualde ſudaſſent, in præſtanda lege, ac putarent ſe iam aliquid meritorum habere, tandem, conſcientia reuelante peccata ac iram Dei, coacti ſunt clamare, perdite uixi. Ita ueriſſimum eſt quod Eſaias inquit, omnis caro fœnum, & omnis ſanctitas eius tanquam flos agri, & tanquam pannus menſtruatæ omnes iuſticiæ noſtræ.

IAM poſtquam probauimus nos operibus non iuſtificari, reliquum eſt ut probemus etiam nos ſola

ſola fide iuſtificari. Non negant autem aduerſarij nullo, nos fide iuſtificari, ſed particulam (ſola) ferre non poſſunt. Hæc enim uocula impediri uident ſuæ corruptelas, quibus dictum hoc, fide iuſtificamur, corrumpunt. Proinde de hac quoq; particula erit aliquid dicendum, etſi ſuperius hoc feciſſe uideri poſſumus, cum à nobis declaratum eſt hanc uirtutem ſolam eſſe, quæ promiſſiones Dei intelligat, intellectas expetat, expetitus aſſentiatur, atq; ita per Chriſtum gratias eas accipiat.

Primum, quod nos accuſant aduerſarij, quod utamur particula Sola, quæ nuſquam in ſacris literis inueniatur, ſicut olim Athanaſium accuſabant Ariani, quod uellet in Eccleſiam introducere uocem ὁμοούσιον, quæ nuſquam in ſacris literis legeretur, ad hanc illorum obiectionem hoc modo reſpondemus, quod neceſſe ſit aliquando etiam nouis uocibus uti, ut noui errores excludantur & uitentur. Recte igitur noſtræ Eccleſiæ faciunt, quod hac particula utuntur, ut corruptelæ, quas aduerſarij huic Pauli dicto fide iuſtificamur affingunt, excludantur. Quanquam mirum eſt aduerſarios audere hoc nobis obijcere, cum ipſi & res & ſermonem penitus nouum in theologiam inuexerint.

Licere uti nouis uocibus in theologia.

Secundo,

torum suorum consequantur. Nec id solum semel in uita, sed quandocunq; uolunt misericordiam Dei implorare faciant, nec tantũ hypocritica humilitate se peccatores esse fateantur (qua etiamsi ore sua peccata confitentur & inclinato capite incedunt, intus tamen habent cor inconfractum & incontritum, quod coram Deo de sua sanctitate tumens se erigit, ac superbe ostentat) sed uera cordis confessione, ut Dauid Psal. 32. testatur se nullã quietem habere potuisse, quamdiu non est fassus se esse miserum peccatorem, at quamprimum coram Deo serio fassus est se esse peccatorem, remissa sibi esse peccata.

Hoc idem & experientia in multis sanctis uiris, ut Bernhardo & alijs comprobauit, qui cum toto uitæ tempore ualde sudassent, in præstanda lege, ac putarent se iam aliquid meritorum habere, tandem, conscientia reuelante peccata ac iram Dei, coacti sunt clamare, perdite uixi. Ita uerissimum est quod Esaias inquit, omnis caro fœnum, & omnis sanctitas eius tanquam flos agri, & tanquam pannus menstruatæ omnes iusticiæ nostræ.

IAM postquam probauimus nos operibus non iustificari, reliquum est ut probemus etiam nos sola

Sola fide iustificari. Non negant autem aduersarij nalde, nos fide iustificari, sed particulam (sola) ferre non possunt. Hac enim uocula impediri uident suas corruptelas, quibus dictum hoc, fide iustificamur, corrumpunt. Proinde de hac quoq; particula erit aliquid dicendum, etsi superius hoc feciſſe uideri possimus, cum à nobis declaratum est hanc uirtutem solam esse, quæ promißiones Dei intelligat, intellectas expetat, expetitas assentiatur, atq; ita per Christum gratis eas accipiat.

Primum, quod nos accusant aduersarij, quod utamur particula Sola, quæ nusquam in sacris literis inueniatur, sicut olim Athanasium accusabant Ariani, quod uellet in Ecclesiam introducere uocem ὁμοούσιον, quæ nusquam in sacris literis legeretur, ad hanc illorum obiectionem hoc modo respondemus, quod necesse sit aliquando etiam nouis uocibus uti, ut noui errores excludantur & uitentur. Recte igitur nostræ Ecclesiæ faciunt, quod hac particula utuntur, ut corruptelæ, quas aduersary huic Pauli dicto fide iustificamur affingunt, excludantur. Quanquam mirum est aduersarios audere hoc nobis obijcere, cum ipsi & res & sermonem penitus nouum in theologiam inuexerint.

Licere uti nouis uocibus in theologia.

Secundo,

Particula sola patribus usitata.

Secundo, dicimus hanc particulam non esse nunc primum à nobis excogitatam, sed in Ecclesia iam olim usurpatam. Nam & Ambrosius aliquoties super Epistolam ad Romanos repetit, nos sola fide iustificari, & utuntur hac particula in hac propositione etiam patres, ut Irenæus, Origenes, Cyprianus, Basilius, Hilarius, Cyrillus, Augustinus, Gregorius, Athanasius, & alij. Vide assertionem Ottonis Corberi, qui cum alia de sola fide iustificante erudite dicit, tum testimonia patrum diligenter collegit. Quin & ipsi aduersarij in quodam hymno canunt, Sola fides sufficit.

Particula sola in sacris literis

Inuenitur & in sacris literis, tum ipsa hæc uox, tum aliæ eiusdem significati, ut Marci 5. inquit Christus ad Iairum Archisynagogum pro filia operam flagitantem & tamen Christi auxilio non satis fidentem, ne timeas, solum crede, indicans in sola ipsius fide situm esse, ut filiæ salutem impetret. Et Paulus Gala. 2. dicit nos non nisi per fidem iustificari, quod idem est, ac si diceret per solam fidem.

Tertio, quid autem necesse est tantos tumultus de una uocula cieri? si rem ipsam uocula hac significatam probare possumus, quare etiam ipsam uocem no-

tem nobis non concederent? Potest autem res multis argumentis eisq; firmis probari, quorum aliqua hic recitabimus.

Quod scriptura doceat solam fidem iustificare.

Paulus numquam non exigit fidem ad iustificationem, & sæpe omnia nostra opera atq; adeo nos totos inde excludit, hoc autem quid aliud est dicere quam sola fide? Profecto siquidem per fidem iustificamur & non per ullum aliud opus, Igitur per solam fidem.

Ad Ephe. 2. inquit, Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis, Donum Dei est non ex operibus, ne quis glorietur. Hic clare fidem tantum nostram ad consequendam salutem requirit, reliqua uero omnia nostra opera, quin & nos ipsos à salutis causa excludit. Hoc quid aliud est dicere quam per solam fidem? Sic Rom. 3. dicit Paulus nos iustificari gratis per fidem. Si per fidem gratis, id est, exclusis nostris meritis. Igitur per solam fidem, quod idem est.

Item ibidem inquit, Concludimus igitur fide iustificari hominem sine operibus legis. Hic per fidem dicit nos iustificari, & excludit alia omnia opera, quod idem est ac si diceret per solam fidem. Nam phrasin hanc, opera legis, nihil aliud Paulo significare, quam

carc, q̃ simpliciter bona opera, inde facilime probari potest, quod Paulus pro hac locutione sæpe utitur his sequentibus, tanquam synonimis seu æquipollentibus, gratis, per gratiam, gratia, non ex operibus quæ fecimus nos, non ex nobis, donum dei &c. Sed de hac phrasi superius dictum est.

Item Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Et hic quoq; excludit omne nostrum meritum & affirmat per fidem nos iustificari, quod idem est ac si diceret per solam fidem. Sunt & alij loci plures, qui in hanc sententiam recte citari possent, uerum hi nobis sufficiant, quandoquidem clare Paulus affirmat nos per fidem iustificari & saluari, ac excludit omnia nostra merita, opera, atq; adeo nos penitus, quod idem plane est, ac si breuius dixisset per solam fidem.

Hæc satisfacere candido lectori possent, sed tamen adhuc pauca quædam addemus. Hoc ipsum quod tantopere inculcatur credere ac fides in nouo testamento & confidere in ueteri, & quod huic habenti omnia bona promittuntur, clare docet hoc solum esse illud, per quod bona omnia apprehenduntur. Plane enim illæ tam uehementes fidei prædictiones. Fides tua saluam te fecit, Credenti nihil est impossibile,

impoßibile, Item illæ tantæ laudes fidei, Hebre. 11. & similes sententiæ nihil aliud sonant, quam si diceretur solam fidem apprehendere Dei fauorem & auxilium.

Recte etiã probari posset doctrina de sola fide iustificante ex Psal. 50. ubi deus reiectis alijs cultibus solam inuocationẽ flagitat, eiq; liberationẽ ex omnibus malis pollicetur. Ostensum enim est superius orationem esse ueluti cor & animam fidei. Huc etiã pertinet q; Deus apud Ieremiã toties, reiectis omnibus Iudaicis cultib., in sola ipsius agnitione uult omnes homines gloriari. O miseram & uere ægenam creaturam humanam, quanam ratione ea aliquid ab omnipotente Deo nisi mendicando acquireret?

Deniq;, quid opus est multis? si uerum est nos solum per Christum iustificari & saluari, ut Petrus plenus Spiritu sancto Acto. 4. testatur, necessario sequitur & hoc, nos sola fide iustificari. Nam sola fides est illud instrumentum, quo CHRISTVM accipimus, sicut Ioannes cap 1. docet, accipere Christum nihil aliud esse quàm uere credere in Christum. Hæc inquam sola est ille oculus, qui serpentem in ligno pendentem, & adiunctam promißionem aspicit.

Ex his

Epilogus confirmationis q, sola fides iustificet.

Ex *his omnibus argumentis necessario concluditur, quod propositio, pœnitentem per solam fidem in Christum iustificari, sit uerissima ac plane ex mediis sacris literis sumpta, quibuscunq; demum uerbis efferatur.* Non uideo autem cur non efferri debeat ijs dictionibus quibus q̃ simplicissime & quam clarissime significari potest. Siquidem in Ecclesia uel in primis utile est scapham scapham dici & ficum ficum.

Cur sola fides iustificet, cum et aliæ uirtutes aliquatenus adesse debeant.

SED *postquam probauimus nos sola fide iustificari & non per opera, item ostendimus quid opera ad rem faciant, uolumus adhuc aliquantulum declarare, quomodo hæc conueniant, nos sola fide iustificari, & tamen oportere adesse etiam aliqua principia & conatus nouæ obedientiæ.* Vulgus enim cum audit non solum fidem debere in pijs esse, sed etiam alia bona opera, putat idem esse, ac si diceretur per fidem & per bona opera, & inanem esse λογομαχίαν contendere nos sola fide iustificari, cum tamen fateamur debere & alias uirtutes adesse, nec mirum est hoc eis accidere, Dicit enim Aristoteles non esse cuiusuis distinguere.

At sanctus Paulus requirit doctorem, qui recte secet doctrinam (nimirum & auditorem) quiq; non confun-

confundat distinguenda, & econuerso. Propterea dignissimi sunt odio aduersarij, qui non aliter summe conantur omnia densissimis tenebris ac tricis involuere, quam nostri præceptores sudant, ut omnia quàm clarissime ac quàm dilucidissime dicant. Atq; hoc ipsum est & praui spiritus & malæ causæ certissimum indicium, Sed ad rem.

Placet autem ut ex superius posita mendici similitudine hanc ipsam huius dubij declarationem petamus. Quemadmodum enim mendicus etsi necessario & aliquas alias partes & magnam uim miseriæ in se habet, Tamen sola manu stipem accipit. Aut si libet, accipiamus & aliam similitudinem, quemadmodum infans etsi alia quoq; membra habet, solo tamen ore ex maternis uberibus lac sugit, Aut (ut alio modo idem dicamus) quemadmodum solis oculis uidemus, etiamsi soli oculi sine alijs sensibus & partibus corporis esse plane non possint.

Sic & nos etsi debemus habere & bonum propositum in posterum, & de præteritis sceleribus dolorem, & habent hæc omnia (ut superius dictum est) suos usus ac finales causas. Tamen sola fide Christi beneficium apprehendimus. Sola hæc audet confidenter accedere solium maiestatis Eph. 3. 1. Ioan. 5. Sola fides promissio ones apprehendit.

ſola hæc pontificem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum ad dexteram patris ſedentem ac pro nobis interpellantem intuetur & alloquitur. Hæc, inquam, ſola nobis omnia impetrat, Nam & orationem in ſe continet, ut ſuperius prolixe declarauimus, quæ eſt illa mẽdica flagitatio miſericordiæ diuinæ aliorumq; bonorum propter mediatorem Dominũ Ieſum, per quam ſolam mendicam flagitationem nos remiſſionem peccatorũ ac æternam uitam aliaq; bona emendicamus. Atq; hæ ſunt cauſæ quare per fidem ſolam iuſtificemur, ac adoptemur, & non per ulla opera noſtra, quia nempe & aliæ uirtutes ne debitum quidem ex exoluere poſſunt, multo minus aliquid ſuperlucrari, & quia hæc unica uirtus eſt illud inſtrumentum, quo miſericordiam Dei apprehendimus. Hæc unica eſt, ut ita dicã, mendicã uirtus, quæ alium de opem quærit, & non ſui meriti præſtantiam confiderat, quia hæc ſola filium Dei in ligno pendentem intuetur, eumq; nobis appropriat, noſq; eo quaſi induit, ſolaq; promiſſiones in uerbo & ſacramentis nobis diuinitus aduectas excipit.

Cum enim Deus motus ſua ineffabili miſericordia ultro ad nos uenit miſeriam ac morbum noſtrum nobis indicans, & auxilium gratis per Chriſtum

stum deferens, ibi sola fides non tantum assentitur utcunq; illis, quæ à Deo dicuntur, sed etiam serio ex pauescit ad agnitionem mali ac morbi nostri, & rursum læta serio expetit, & amplectitur ultro gratisq; delata remedia ac beneficia, Deiq; pollicitationibus firmiter assentitur, atq; hoc modo sola fides remissionem peccatorum ac misericordiam Dei apprehendit. Quomodo sola fides promissiones apprehendat.

Quare constantissime retinenda est propositio, sola fide iustificari pœnitentem, ut sciamus nos egeni debitores, nihil nos penitus habere nostrum, quo tantum debitum decies mille talentorum (quod tamen subinde augemus non præstando debitam obedientiam) soluere possimus, multo minus, quo æternam uitam emere queamus. Sed tantum nos hac mendica fidei manu amplissimos thesauros aliunde in promissionibus aduectos, ipsum nempe filium Dei cum eius meritis ac donis accipere, eisq; opibus cum omnia nostra debita persoluere, tum et adoptionem, æternam uitam, ac Spiritus sancti donum consequi, Ac, ut paucis dicamus, multæ quidem aliæ, eæq; grauissimæ causæ sunt, cur hæc doctrina de sola fide iustificante, quandoquidem uerissima est, firmissime retineri debeat, imprimis uero hæ duæ. Prima, ut Christo Doctrinã de sola fide iustificante, constanter retinendam

Cur potissimum doctrina de sola fide iustificante retinenda sit.

Christo suum honorem uere & integre tribuamus. Secunda, ut nostra conscientia recte edocta consolationem accipere & Deum uere inuocare possit.

Nam primum quantacunq; demũ portionem salutis nostris operibus tribuitur, id de meritis Christi dignitate detrahitur, & nõ conceditur, q; ille solus sit noster saluator, cum tamen ipse filius Dei dicat Esa. 63. Ego solus calcaui torcular, & nemo fuit mecum. Et Petrus negat in alio esse salutem, uel aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos saluari. Et Esai. 43 postquam Deus prolixe disputauit se solum saluare & nullum alium, tandem concludit, se delere eorum peccata propter se, idq; ob nullum eorum meritum, quin potius contra eorum meritum. Inquit enim non coluisti me, quin potius defatigasti me peccatis & iniquitatibus tuis, tandemq; pronunciat, Ego, ego sum ille, qui deleo iniquitates tuas propter me, & iniquitatum tuarum non recordabor amplius.

Nulla pars salutis meritis tribui potest sine iniuria Christi.

Proinde cauendum, ne ulla humanæ sapientiæ ratiocinatiõe moti aliquam particulam salutis à merito Christi ad nostra opera transferamus, ne per ratiocinationes nostras tandem stulti fiamus (ut Paulus loquitur) quemadmodum in papatu accidit, ubi

cum

cum semel cœperunt æternam salutem à Christi merito ad suum transferre, tandem eousq; erratum est, donec non solum operibus diuinitus mandatis, sed etiam operibus à quouis hominecione excogitatis, atq; adeo cucullæ & aquæ benedictæ salus æterna tribueretur. Notum enim est, Aqua benedicta deleat tua delicta, sit tibi salus & uita &c.

Deinde quantulamcunq; demum particulam nostræ iustificationis tribuerimus nostris operibus & quantacunq; demum conditio nostræ dignitatis ad iustificationem requiretur, semper in oratione perterrefacta mens trepidabit & diffidet de misericordia Dei (quæ enim proportio finiti ad infinitum, nostræ innocentiæ ad iusticiam Dei) nec unquam audebit Deum cum fiducia accedere, sicut Paulus præcipit, numquam appellabit Deū ucre & ex animo patrem nostrum, multo autem minus poterit statuere se exaudiri. Semper enim obstrepit nobis nostra indignitas, & nemo sustinere poterit, si Deus obseruauerit iniquitates. Quare & fides esse non posset, & promissio esset irrita Recte itaq; docet Paulus, Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Nulla pars iustificationis meritis tribui potest sine periculo desperationis.

Cordi contrito & humiliato perdifficile est petere aliquid à Deo, ac statuere se exaudiri, etiam

Contritus difficulter admittit consolationes.

cum tantum gratuitas promißiones & agnum Dei peccata tollentem respicit. Nam & conscientia & diabolus oranti ogganniunt, Quomodo audes tu indignißime homuncio Deũ creatorem cœli & terræ iustißimum, ac omni peccato & peccatori inimiciſsimum, tam audacter accedere, ac tibi aliquid de eo boni polliceri?

Hypocritæ rident consolationes.

Rident hæc hypocritæ, qui facillime ſine ulla cogitatione iræ ac miſericordiæ Dei prolixas preces abſolucre poſſunt, quiq; ex integris uerſiculis pſalmorum unam uocem cõflant, ut ſcilicet tantum prima & ultima ſyllaba exaudiatur.

Nemo potest Deum accedere, niſi per gratuitam promißionem.

At pij certo ſciunt, neminem uere poſſe ad Deum dicere, ô pater noſter, qui non penitus ſe conjiciat in gratuitam miſericordiam per Chriſtum oblatam, ac neutiquam ad ſuam indignitatem reſpiciat. Quare aduerſarij, cum ponant hanc propoſitionẽ, noſtram iuſtificationem pendere ex ſufficienti contritione uel etiam ex noſtro merito, coguntur poſtea docere dubitandum eſſe de remißione peccatorum ac fauore Dei erga nos, quæ doctrina ex diametro pugnat (ut ſuperius probauimus) cum doctrina de fiducia in Deum, et uera inuocatione, quæ ſine uera fiducia in Deum nullo modo eſſe poteſt.

Amiſſa

Amissa autem fiducia in Deum & uera inuocatione nihil ab Ethnicis differimus. Nam in eo consistit Christianismus, & eatenus est unusquisq; uere Christianus, quatenus propter meritum Christi gratis iustificatur seu absoluitur, & quatenus fiducia mediatoris inuocat patrem, & in mediatoris patrocinio letus acquiescit. Christianismus in quo consistat.

Hanc totam doctrinam hypocritæ non intelligunt, sed tantum externas actiones utcunq; cognoscunt, eas solas laudant, ac in illis summam Christianismi collocant, quas tamen & Ethnici efficere possunt, quod exemplo Socratis, Aristidis, Scipionis, Attici, & aliorum probari potest, qui longe honestius uixerunt, quam hypocritæ iam uiuunt. Hypocritæ nesciunt quid sit Christianismus.

Proinde hæc doctrina de sola fide iustificante, constantissime retinenda est, ne, si alias quoq; uirtutes instrumenta apprehensiua beneficij Christi fecerimus, statim redeamus ad doctrinam partim per opera, partim per Christum, tandemq; in Ethnicismum degeneremus, sicut in papatu factum est. Sed ut possimus cum fiducia accedere Deum, ac eum recte inuocare, sine quibus nemo est Christianus.

DIXIMVS iam aliquoties superius, fidem esse illam mendicam manum, qua Dei misericordiam,

Obseruandum q; fides sit mẽdica manus.

aliaq; bona ultro ob meritum Christi per uerbum & sacramenta nobis oblata apprehendimus, quod obseruandum est, quia id & per se recte dicitur, & ad multarum quæstionũ solutionem (ut superius indicauimus) utile est.

Quare Christus & tota scriptura præcipue fidem à nobis flagitet.

At patet quoq; hinc quare Christus & tota scriptura ubiq; tantopere ueram fidem flagitet præ cæteris omnibus uirtutibus, Cum enim religio teste Psal. 50. præcipue consistat non in eo, ut nos Deo multũ sacrificemus (sicut hypocritæ sentiunt) ac cũ quasi pauperem quendam nostris beneficijs oneremus, uel certe tanquam cum mercatore ex æquo cõtrahamus, sed in eo, ut nos in nostra perpetua egestate ab ipso, qui solus est uere diues & bonus, opem flagitemus, summaq́ue eius bona quæ ille nobis uel etiam, ut ita dicam, importunus obtruderit, cupide gratoq; animo accipiamus, fides autem sit illa mendica manus, sicut hactenus dictum est, qua bona omnia à Deo oblata excipimus. Facile apparet quod Deus hoc ipsum summe desiderat, ut hanc manum sine intermissione sibi porrigamus, ac uel impudenter flagitando insistamus, impleturus eam longe amplioribus donis, q̃ ea capere possit.

In quam sententiam pulcherrimam picturam nobis Spiritus sanctus proponit Psalm. 81. Ego sum Deus

Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum & implebo illud, & non audiuit populus meus uocem meam, & Isráel noluit me.

Atq; ob hanc causam Iudæi, quod scilicet os cœlestibus delicijs ultro ingestis aperire, id est, fide accipere promißiones noluerunt, cum sæpe aliâs grauißime afflicti sunt, tum uero tempore Christi penitus sunt exciſi, Quod ne nobis quoq; oleastris gratis in oleam insertis aliquando iusto Dei iudicio accidat, aperiamus os, permaneamus in benignitate et gratia Dei, ut Paulus loquitur, exporrigamus istã nostram mendicam manum, fidem scilicet, ac æterna bona gratis & ultro oblata cum summa animi alacritate & gratiarum actione accipiamus, & non patiamur à sathana & hypocritis nobis cœlestem doctrinam de gratuita remißione peccatorum, deq; sola fide eam accipiente iam post liminio ineffabili Dei bonitate restitutam, uel adimi uel corrumpi. Roma. 11. Acto. 13.

SED IAM, quoniam omnia ea expediuimus, quæ de hac materia dicere uolebamus, tempus est, ut finem scripto imponamus. Quæ autem præcipue tractare uoluimus, tria potißimum erant. Epilogus totius scripti.

Primum ea, quæ ad grammaticam huius uocis explicationem pertinent. Nam uerbum האמין

qua nam ratione à suæ originis prima significatione paulatim per noticiam usq; ad fiduciam delabatur, nemo, quod quidem ego sciam, hactenus satis explicuit.

Præterea & uocis πίστις & ἐπιστεύω significationem in hoc tanto contradicentiũ furore paulo ualidius probari fuit, ut opinor, non inutile. Recte credo etiam factum, quod uoces hebræas & græcas his principalibus dictionibus cognatas explicuimus.

Deinde uolui & quandam exactiorem enumerationem ac explicationem partium fidei adiungere, non quod usitatam iam in Ecclesijs Christi diuisionem improbarem, sed quod sperabam & ex hac nostra partitiõe aliquid lucis rei accedere posse.

Postremo decreueram etiam paulo diligentius considerare, quomodo hoc nostrum instrumentum iustificationis, id est, fides instrumento Dei, id est, uerbo & sacramentis occurrat, ac promissiones Dei accipiat, atq; ita declarare, quod doctrina de sola fide gratuitas promissiones accipiente, sit uerissima, & Ecclesiæ plane necessaria.

Spero autem, sicut & præceptores mei iudicant, hunc nostrum laborem non omnino inutilem fore

fore ijs, qui hæc non ſolum utcunq; cognoſcent, ſed etiam uſu ipſo experientur. Nam primum ſi recte monet Ariſtoteles doctrinæ Ethices finem eſſe non cognitionem, ſed actionem, nec eam ſatis intelligi poſſe, niſi ab ijs, qui exercitia aliqua uirtutis habent, multo id rectius de cœleſti doctrina dicetur, quæ ob hoc ipſum data eſt, ut nobis uiam ad æternam illam fœlicitatem commonſtret. Doctrina de fide ſine uſu intelligi non poteſt.

Nec eſt ſatis multas ſubtiliſſimas ſubtilitates ac minutiſſimas minutias cum Sophiſtis de Deo ſpeculari, atq; incxtricabiles labyrinthos quæſtionum fabricare, quæ quæſtiones, teſte Paulo, ſunt ſtultæ, fruſtraneæ, & inutiles. Non enim ædificant Eccleſiam Chriſti, ſed qui uſq; ad has ſpeculationes tantum ſunt Chriſtiani, ſimiles ſunt ijs, qui (ut inquit CHRISTVS) ædificant domum ſuper arenam.

Deinde cum hæc ſit doctrina quædam, quam animalis homo ex ſua ratione omnino non intelligit, ſed ſit per filium ex ſinu patris reuelata, plane indiget experientia frequenti & illo doctore, qui in cordibus piorum ABBA pater clamat, ad hoc ut ſaltem utcunq; à nobis intelligatur.

Proinde

Proinde nos & hæc meminerimus, & sæpe de horibili turpitudine peccatorum nostrorum, deq; magnitudine iræ Dei cogitantes perterrefiamus, & rursus cœlestem uocem Euangelij meditantes nostra rigamus, promissa bona (nempe gratuitam acceptationem, donum Spiritus sancti, ac uitam æternam) expetamus, expetita certo dari nobis, nosq; exaudiri indubitanter statuamus, ac demum isto placato patre firmiter fidamus.

Hæc exercitia cum subinde repetierimus, ac insuper flagitauerimus, ut dominus nobis fidem adaugeat, poterimus cum ea ipsa, quæ nobis uerbum Dei pollicetur iam saltem ut in speculo cernere, tum etiam maiori animi robore in his ingentibus miserijs, tamque uarijs diaboli, carnis, & mundi oppugnationibus beatam illam spem expectare, ad quam nos Dominus Iesus rex montis Syon, ac caput nostrum, absterfis omnibus lachrymis ab oculis nostris, in gloriam nominis sui perducat.

AMEN.

VT VACVAM CHAR
tam expleremus, regulam hanc apposuimus.

Vtuntur hebræi crebro tali quodam tropo ut (sicut Limacer in fine secundi loquitur) factum pro dicto ponant. Nam uerba quæ aliâs esse aut fieri quippiam significant, sæpe non essentiam aut actum, sed illius essentiæ actusue indicationem, uel (ut sic dicam) notificationem, Item opinionem et cognitionem denotant. Iudico aũt metaphoram esse, Nam cum teste Aristotele cogitatio & sermo sint rerum ὁμοιώματα, uocabula per similitudinem à rebus ad earum cognitionem & de eis sermonem transferuntur. Regula. In principio περὶ ἑρμηνείας

Iere. 1. præfeci te hodie super gentes & regna ut euellas, extirpes, diruas, plantes, ædifices, id est, ut annuncies euellenda, extirpanda, perdenda, diruenda, plantanda, & ædificanda esse. Sic Leui. 13. immundabit & mundabit, id est, pronunciabit immundum & mundum. Esai. 6. Impingua cor populi huius. Rom. 4. Lex iram operatur, id est, indicat, annunciat. Exempla indicationis.

1. Reg. 3. Ego & filius tuus Salomon erimus peccatores, id est, habebimur pro reis. Psal. 143. Non erit Exempla opinionis

erit iustus coram te omnis uiuens. Lucæ 15. plus q̃ de nonaginta nouem iustis. Item, non ueni uocare iustos, id est, qui sibi uidentur esse iusti. Prouer. 3. Ne sis sapiens in oculis tuis, id est, ne tibi uidearis sapiens, 1. Cor. 1. Per stulticiam Euangelij saluos facere credentes. Ibidem, Quod stultum est Dei, & quod imbecillum est Dei.

Exempla cognitionis.

Psalm. 51. ut sis iustus cum loqueris, mundus cum iudicas, id est, ut agnoscatur Dei accusantis & iudicantis munda innocentia & iusticia. Esai. 44. narra tu ut sis iustus, id est, ut tua iusticia agnoscatur. Ioan. 9. Si cæci essetis peccatum non haberetis, id est, si cæcitatem uestram & errores agnoscere tis, remitterentur uobis peccata. Rom. 7. Ego sine lege uiuebam, id est, non uere agnoscebam uim legis. Item, ut peccatum esset uehementer peccatum. Roma. 3. ueritas Dei per meum mendacium exuberauit. Item, sit Deus uerax. Roma. 5. lex subintrauit ut abundet peccatum, id est, ut magnitudo ac fœditas peccati agnoscatur. 1. Cor. 3. stultus fiat ut reddatur sapiens, id est, suam stulticiam agnoscat.

IMPRESSVM VITEBERGAE
apud Vitum Creucer.

ANNO. M. D. XLIX.